IACOBI GRETSERI SOCIETATIS IESV THEOLOGI,

AVCTARIVM AD DVOS LIBROS DE FESTIS NVPER EVVLGATOS,

Seu

DISSERTATIO PRO SACRATISSIMA CORPORIS CHRISTI SOLENNITATE; & sacrosanctæ Eucharistiæ cultu.

Aduersus

RVDOLPHI HOSPINIANI CALVINISTÆ IMPIETATEM AC INSCITIAM.

Ad

REVERENDISSIMVM ET ILLVSTRISSIMVM PRINCIPEM AC DOMINVM, Dominum IOANNEM CHRISTOPHORVM, *Dominum ac Præpositum Elvvacensem, &c.*


Cum grat.& priuileg.Cæsar.Maiest.

INGOLSTADII,

Excudebat ANDREAS ANGERMARIVS.

Sumptibus Ioannis Hertsroy, Bibliopolæ Monacensis.

ANNO M.DC.XII.



REVERENDISSIMO ET ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI CHRISTOPHORO, DOMINO ET PRÆPOSITO Elvvacensi, &c.

JACOBVS GRETSERVS.

R*Egula Iuris est;* REVERENDISSIME *&* ILLVSTRISSIME PRÆSVL, Accessorium naturam sequi congruit Principalis. *Cum igitur ante paucos menses ad* Illustriss. Celsitudinem V. *Opus de Festis ablegarim, Eidemque illud, vt audio, gratum acceptumque acciderit, omnino hanc Pontificij Iuris Regulam mihi sequendam, atq;*

adeo Accessorium *siue Auctarium hoc eò mittendum duxi, quò iam Principale Opus abierat; nimirum, ad* Illustriss. Celsitud. V. *Verè enim lucubratio ista, nihil aliud est, quàm Librorũ de Festis Appendix & Mãtissa, quæ vnà cum illis lucem aspicere debuerat, si & mihi eius conscribendæ, & typographo typis describendæ satis otij ac temporis suppetiuisset: nec aliud complectitur, quàm Defensionem eius Festi, quod* Corpori Christi *antiquitas dedicauit, cui Nouatores perquam infestos sese exhibent.*

Etsi enim omnes dies Festos oculis sat limis & obliquà tuentibus aspiciant, animoque & affectu nõ multum diuertant ab impiis illis, quorum hæc est vox: Quiescere faciamus omnes dies festos Dei à terra; *singulare tamen & eximium odium semper præ se ferunt, maximè, qui ex Caluini schola, in Solennitatem, quam Vrbanus IV. Pontifex augustissimo Eucharistiæ Sacramento consecrauit, & quotannis in vniuersa Ecclesia, festiuo ritu, obiri iussit, quorum impietatem, potissimum autẽ Hospiniani Caluinistæ*

Psalm. 73.

uinistæ ex Heluetia, proiectam petulantiam, hoc commentariolo castigatum iui, & pro facultate mihi à Domino concessa plerasq; criminationes à virulentis hæreticorum faucibus in hanc celeberrimam panegyrin effundi consuetas, propulsaui; cuius mei laboris, vt iudicem, ita & patronum adscisco & aduoco, Illustrissimam Celsitudinem vestram, *quæ inter cætera munia, sibi diuinitus commissa, hoc etiam se accepisse rectissimè arbitratur, vt cultum diuinum non modò conseruet, sed & augeat, amplificet ac propaget, cum omni tempore, tum præsertim eo die quo Christianus & orthodoxus populus reipsa præstare nititur, ad quod præstandum beatus Dauid iam pridē omnes & singulos cohortatus est, nimirum, vt Deum laudent* secundum multitudinē magnitudinis eius, in sono tubæ, in psalterio & cithara, in tympano & choro, in chordis & organo, in cymbalis benesonātibus, & in cymbalis iubilationis: *&, vt factum à Macchabæis in dedicatione Templi,* in canticis & cinyris: cū cecidit omnis popu-

Psalm. 150.

1 Machab. 4.

populus in faciem, & adorauerunt, & benedixerunt in cœlum eum, qui prosperauit eos: *qui* ornauerunt *quoq;* faciem templi coronis aureis & scutulis. *At nunc non tantùm propylæa seu vestibula, sed & ipsas Ecclesiarum interiores partes festa fronde, varysq; peristromatum & peripetasmatũ generibus, prout cuique copia suppetit, decoramus, ad illius solummodo laudem & gloriam, qui vt Redemptor, ita quoq; cibus & potus noster fieri, & futuræ beatitudinis pignus & arrhã in hoc diuino mysterio nobis præbere voluit: quem supplex oro, vt* Celsitudini V. *gratiam copiosam, vitam longæuam, multosq; annos clementer largiatur, quo Catholica Religio inuictum defensorem; Societas autẽ nostra benignissimũ fautorẽ ac Mæcenatem quàm diutissimè sospitẽ ac superstitẽ habeat. Ingolstadij. Ipso festo S. Annæ, eius virginis, quæ nobis Deum genuit, Genitricis. Anno salutis M. DC. XII.*



LE-



LECTORI.

IN Opere de sacris Processionibus refutaui calumnias Hospiniani, Prædicantis Turegiensis, *seu, vt nunc appellari volunt,* Tigurini, *in Zuinglij & Caluini schola nati & educati. Sensit refutationem meam Hæreticus Spermologus. Quocirca in altera Centonis sui de festis editione verbosissimam & inaniloquio vndique diffluentem prosę Apologiam instituit: quam hac lucubratione ad examen voco. Vale.*



FACVLTAS R. P. PROVINCIALIS.

Librum hunc pro sacratissimo corporis Christi festo à *P. Iacobo Gretsero* aduersus Caluinianum quendam conscriptum, & à Theologis ad id deputatis recensitum probatumq́;, Ego *Theodorus Busæus* Societatis IESV per Germaniam superiorem Prouincialis, potestate mihi facta ab admodum R. P. N. *Claudio Aquauiua Præposito Generali* eiusdem Societatis, in lucem exire permitto. Monachij 22. Iunij. 1612.

THEODORVS BVSÆVS.



INDEX

INDEX CAPITVM HVIVS AVCTARII.

DE



DE SACRATISSIMO CORPORIS CHRISTI FESTO, DISSERTATIO,

CAPVT PRIMVM.

Caussæ, cur Festum corporis Christi ab Vrbano IV. Pontif. Max. institutũ fuerit.



HAs recenset ipsemet Pontifex in suo Diplomate, quo festi huius institutionem promulgauit, & toti Catholicæ Ecclesiæ annunciauit. Quod integrum exstat in Clementina *de Reliquiis & Veneratione Sanctorum* lib. 3. tit. 16. Præter cætera, ita loquitur Pontifex. *Intelleximus autem olim, dum in minori essemus officio constituti, quòd fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatum festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum.* Qui fuerint isti *Catholici*, viri an fœminæ, non exprimit Pontifex. Hospinianus dicit, fuisse fœminam, nomine *Euam*. At Pontifex de pluribus personis Catholicis loquitur,

non de vna solùm. Sed vnde Caluinistæ huic notū, Euam fuisse vnam ex illis, de quibus Pontifici sermo est? Ex Balæo; hunc enim nobis testem laudat. Iam assentior. Iam acquiesco. Balæus Pontificum Romanorum, & omnis pietatis iuratissimus & pertinacissimus hostis adeò in Centuriis suis veridicus est, vt vix inuenire sit pagellam, cui mendaciloquētiæ suæ manifesta vestigia non impresserit; & quisquam erit, qui tam probatum & spectatum testem fide & assensione dignari abnuat?

Nec moueor, quòd Balæus pro se adducit Arnoldum Bostium & Petrum Præmonstratensem: quia neminem vel mediocriter in Centuriis huius Balænæ versatum fugit, quo candore & qua religione Nouator iste inedita veterum scripta producere, & quàm multa Auctoribus affingere consueuerit, de quibus ipsi nunquam vllam cogitationem susceperunt: Vt proinde, si hæc res solius Balæi auctoritate, vel potius futilitate, niteretur, non iniuria fabulis accenseretur. Sed quia, vt postea dicam, aliunde constat, sanctis quibusdam mulieribus futuram huius festi institutionem diuinitus patefactam esse; non refragabor, vero consonare, quod de Eua fertur, recisis tamen conuiciis & mēdaciis, quæ huic narrationi Balæus, Hospinianus & alij Sectarij interspergunt.

Illud nego, Reuelationes mulieribus Deo famulātibus factas, Pontifici vnam & *adæquatam* caussam fuisse, vt hoc festum institueret, institutumque publicè celebrandum indiceret: nam ipsemet Pontifex plures caussas in sua Bulla enumerat; & ex Onuphrio Hospinianus quoque aliam recenset; aliam

itidem

itidem ex Ptolemæo Lucensi; qui Vrbanum IV. rogatu S. Thomæ Aquinatis ad hanc solennitatem instituendam permotum scribit. At Balæus, & huius imitator, seruum pecus, Hospinianus, ita rem proponunt, quasi, si absq; Eua fuisset, Festum Corporis Christi nunquam exstiturum fuisset: quod à vero quàm longissimè abit, vt, qui Bullam institutionis legerit, haud grauatè fatebitur. Et hoc, prout ab istis Lectori proponitur, vocaui libro primo de Processionibus & etiamnum voco, *fabulam* & *fabulosum.*

Obiicit Caluinista. *Ego ex tribus sententiis nullam approbaui, sed iudicium lectori reliqui.* Itáne nullam ex tribus sententiis de caussa institutionis huius Festi approbasti? Quanquam facilè mihi persuadeo, te nō approbasse sententiam Onuphrij, quia eiusmodi miraculum continet, quod omnium Capharnaitarum, Berengarianorum, Wiclephistarum, Zvvinglianistarum, & Caluinistarum intelligentiam superat. Audiamus Onuphrium in Annotationibus ad Platinam in Vrbano IV. *In ea postremò Vrbe* (veteri) *Anno Domini M.CC.LXIV. sacratissimi corporis Christi solennitas quinta Feria post octauam Pentecostes, ab eodem Pontifice perpetuis temporibus cum solenni supplicatione, quæ nunc etiam celebratur, instituta est, cùm eius solennitatis officium S. Thomas Aquinas, qui eo tempore publicè Theologiam in ea ciuitate profitebatur, composuisset. Id verò factum fuit propter miraculum, quod hoc tempore Vulsiniis in diœcesi & ditione Vrbeuetana in Ecclesia sancta Christina accidit. Nam dum sacerdos quispiam sacra Missarum solennia celebraret, sacramento iam confecto, de panis & vini transsubstantiatione, & Christi corpore dubitauit. Vnde statim, (dictu & auditu mirum) ex sanctissima, quam*

in manibus tenebat hostia, viuus sanguis manare cœpit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus IV. Corporale primùm ad se ab Episcopo loci cum processione Vrbem veterem transferri voluit, & illud solennitate instituta, in Ecclesia Vrbeuetana recondidit. Quæ omnia ex eiusdem Pontificis Bulla, quæ adhuc extat, intelliguntur. Hæc Onuphrius. Quæ quàm Sacramentario palato & stomacho iucunda sint, nemo ignorat.

Eadem insuper facilitate credo, te non probare sententiam Ptolemæi Lucensis, quæ originem huius Festi precibus S. Thomæ Aquinatis, Vrbano Pontifici oblatis, adscribit.

Cæterùm, quod ais, te non approbasse Balæi tui sententiam, id vt tibi assentiar, hodie ab animo meo impetrare nequeo, & si bene me & te noui, arbitror eandem difficultatem crastino, perendino, & omnibus consequentibus vitæ meæ diebus futuram. Tune non approbasti sententiam, quàm cum tuo Balæo cæteris *certiorem* nominas? Tune non approbasti sententiam; quam Pontifici & Pontificiis *ignominiosam*, vel certè parū honorificam existimas; cuius caussa totam narrationem de Eua ab Onuphrio figmentis annumeratam ais? *Turpe enim & valde ignominiosum fore putauit Onuphrius*, agnoscis, opinor, tua verba, *si hoc Festum, quo Pontificij non habent maius, in vnius mulierculæ gratiam institutū diceretur.* Num fieri potest, vt ex variis sententiis non probes & amplectaris eam, quæ Pontificiis notam turpitudinis & ignominiæ, tuo iudicio, inurit? Et quis, vnquam, præter te, & tibi similes simios dixit aut scripsit; Festum hoc *in vnius mulierculæ gratiam* institutum esse?

Num

Num Catholici, qui Euæ huic & alijs de Festo hoc diuinas reuelationes obtigisse non inficiantur, ideo concedunt, festum istud *in vnius mulierculæ gratiam* in Ecclesiam introductum fuisse? Num hoc Pontifex in sua constitutione asserit? Cui, obsecro, sani capitis fidem facies, te non probasse sententiam, quæ mentem tuam adeò titillauit, vt ad ista verba Pontificis Vrbani; *Intelleximus autem olim, dum in minori officio essemus constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis, &c.* adieceris hanc glossulam, vel potius prægrandem calumniam: *Imò mulierculis mihi familiariter notis*; idque non tantum in Centone tuo de Festis; sed etiam in *Sacramentariæ Farraginis* libro quarto? Idem indicant illæ tuæ Phrases. *Cuius in suo scripto ad Euam suam Vrbanus meminit*: Et, *quia viderunt oculi tui salutare tuum*: Tu per parenthesin (*horrendum idolum*) Non disputabo de fide Epistolæ ad Euam, quam tu ex Balæo tuo sub Vrbani nomine venditas: scripta & missa fuerit ab Vrbano ad Euam illam in ditione Leodiensi Sanctimonialem; duo dixerim: Alterum est; Balæum apertè sibi contradicere, vt monui etiam lib. 1. de sacris Processionibus cap. vlt. Nam cap. 38. Centuriæ Quartæ disertè scribit, Festũ corporis Christi ab Vrbano institutum esse Anno Redemptoris M. CC. LXII. Et tamen in eadem Centuria c. 2. dicit, Euæ huic Anno M. CC. LXIV. reuelationem factam esse de Festo corporis Christi instituendo & celebrando; hocque viso cœlesti impulsam, ad Vrbanum literas dedisse, & vt Festum corporis, *Papali auctoritate solennizandum ordinaret*, (ita loquitur Balæus) *submissè supplicasse*; & ad hanc Euæ supplicationem Epistolam, quam Balæus reci-

monitis tandem impulsam rem Canonico cuidam patefecisse; hunc autem eundem retulisse ad Iacobum de Trecis tunc Archidiaconum Leodiensem, qui postea ad sumi Pontificatus apicẽ euectus, Vrbani IV. nomen tulit. de quo legi potest Serarius libr. 2. de Processionibus cap. 9. vel ipse Diestemij libellus, qui Anno salutis M. D C. III. Duaci euulgatus est, ad calcem eius Operis, quod *Magnum Speculum Exemplorum inscribitur.*

Quibus valdè concordant Vrbani prius memorata verba. *Intelleximus autem olim dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum, &c.* Nam *minus illud officiũ*, in quo tunc se *constitutum* dicit, erat Archidiaconatus Ecclesiæ Leodiensis. Inde ad Virdunensem Episcopatum, postea ad Hierosolymitanum Patriarchatum, & tandem ad sedis Apostolicæ supremum culmen vocatus est. Nec mirabitur, Deum in huius Festi institutione vti voluisse mulierum ministerio, qui cogitauerit tres *Marias* à Deo delectas fuisse, vt Resurrectioni Saluatoris nostri testimonium perhiberent, etiam apud ipsos Apostolos, prout liquet ex verbis Angeli Marci 16. *Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.*



CAPVT

CAPVT II.

An huius Festi institutio sit contra praeceptum diuinum.



NEgaui, & adhuc nego, institutionem huius solemnitatis vlli praecepto diuino repugnare: caussas negationis attuli lib. 1. de Processf. cap. 19. Quas cum Haereticus refutare non posset, ad calumnias & Pseudologias dilapsus est: Clamat enim; *Monachum mutare controuersiae statum. Non n. quaeri, an Christus festis diebus sit colēdus, sed an tali festo; & quidem tali circumgestatione, ostensione & adoratione sacramēti.* At Monachus recinit Caluinicolā hunc, more sibi solenni, oīa miscere ac confundere. Nam alia quaestio est; num fas sit Christo, seu corpori Christi festū instituere; alia, num corporis Christi seu sacramenti circumgestatio, ostensio, & adoratio in hac festiuitate piè & licitè vsurpetur. Prioris partem affirmantem probauit Gretserus statim in vestibulo capitis XIX. Posteriorem, in *ipso* capitis decursu, vbi & illud demonstratum; nihil idololatriae & Ethnicismi festo huic admisceri; vt calumniatur Caluinista. An vis, vt te imiter, tenebrasque luci, non autem tenebris lucem inferam? quod fieri necesse, quando omnia indistinctè & indigestè vnum in cumulum congeruntur.

AitCaluinista. Si *Papistae hoc Festum in libertate Christiana hunc in vsum celebrarent, vt quotannis certo die populus erudiretur, de vero vsu huius sacramēti, & praemuniretur contra omnes haereses & abusus, quemadmodum alias per circulum anni in reliquis Festis Christi, articuli*

Christianæ fidei populo ordine proponuntur & explicantur, tunc parũ referret, siue ab Vrbano, siue ab alio hic festus dies institutus esset; neque Orthodoxi (sic Caluinistas indigitat) *cum Papistis de hoc die odiosè contenderent.* Si hac ratione & cautione Festum Corporis Christi ritè & legitimè instituitur; cur ergo vos Caluinistæ & Lutheristæ tale festum è vestigio vestris non indicitis? An non interest vestra, vt grex vester de vsu legitimo huius sacramenti contra abusus & hæreses erudiatur & præmuniatur? Quanquam quid ego Caluinicolis de nouo Festo introducendo concioner; cum plerique vetera omnia ita sustulerint, vt vix Dominicus dies sua in statione remanserit? Nec ignotum est, qua pertinacia rigidiores & cerebrosiores Lutherani Festo Corporis Christi sese opposuerint, cum illis à Libro, quem *Interim* seu *Interreligionem* vocitant, præciperetur, non quidem eo fine, vt Catholicorum ritu, Processiones instituerent, & sacramentum circumferrent, sed tantum, vt ab operibus externis abstinerent, & id agerent, quod alijs Festis diebus actitare solent. Domo potius & patria, migrare voluerunt, quàm Festum hoc, etiam cum hac conditione & restrictione admittere.

At cedo, Caluinista; num tu censes institutione huius Festi Christianos de legitimo vsu Eucharistiæ non informari, & aduersus Hæreses non præmuniri? An non ipsemet Pontifex Vrbanus in sua Bulla palam profitetur, Festum hoc institui debuisse, *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam?* Idem Pontifex in eadem Bulla. Nos *itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendũ, vt de tanto sacramento,*

præter

præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior & specialior annuatim memoria celebretur. An non vides hîc, ô Caluinista, præmunitionem & præmonitionem fidelium aduersus Hæreticos Berengarianos, Albigenses, & id genus alios, auos & proauos vestros? An non tibi videtur vsus huius sacramenti illis Pontificis verbis contineri? vt in hoc Festo *tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant, tuncque omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur.*

Vis habere etiam instructionem de huius sacramenti vsu? Audi Pontificem Vrbanum. *Vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, &c. quatenus tam excelsum & tam gloriosum Festum, prædicta quintæ Feria singulis annis deuotè ac solenniter celebretis, &c. subditos vestros in Dominica, dictam quintam Feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, &c. taliter se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum.* Ecce tibi instructionem de hoc sacramento, & vsum sumptionis, quem vos vnicum agnoscitis & vrgetis. Nec Dñica duntaxat hoc festũ antegrediente; sed & toto anno, vbi se dat occasio, populus ad sacrosancti huius sacramenti mysteria obeunda à Catholicis Ecclesiastis excitatur: Et nonnullis in locis, nominatim Augustæ Vindelicorum, sub vespertinas preces, quotidie per totam Octauam Corporis Christi concio, ad populum de hoc Augustissimo Sacramento instituitur.

Christianæ fidei populo ordine proponuntur & explicantur, tunc parũ referret siue ab Vrbano, siue ab alio hic festus dies institutus esset; neque Orthodoxi (sic Caluinistas indigitat) *cum Papistis de hoc die odiosè contenderent*. Si hac ratione & cautione Festum Corporis Christi ritè & legitimè instituitur; cur ergo vos Caluinistæ & Lutheristæ tale festum è vestigio vestris non indicitis? An non interest vestra, vt grex vester de vsu legitimo huius sacramenti contra abusus & hæreses erudiatur & præmuniatur? Quanquam quid ego Caluinicolis de nouo Festo introducendo concioner; cum plerique vetera omnia ita sustulerint, vt vix Dominicus dies sua in statione remanserit? Nec ignotum est, qua pertinacia rigidiores & cerebrosiores Lutherani Festo Corporis Christi sese opposuerint, cum illis à Libro, quem *Interim* seu *Interreligionem* vocitant, præciperetur, non quidem eo fine, vt Catholicorum ritu, Processiones instituerent, & sacramentum circumferrent, sed tantum, vt ab operibus externis abstinerent, & id agerent, quod alijs Festis diebus actitare solent. Domo potius & patria, migrare voluerunt, quàm Festum hoc, etiam cum hac conditione & restrictione admittere.

Atcedo, Caluinista; num tu censes institutione huius Festi Christianos de legitimo vsu Eucharistiæ non informari, & aduersus Hæreses non præmuniri? An non ipsemet Pontifex Vrbanus in sua Bulla palam profitetur, Festum hoc institui debuisse, *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam?* Idem Pontifex in eadem Bulla. Nos *itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendũ, vt de tanto sacramento,*

præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior & specialior annuatim memoria celebretur. An non vides hîc, ô Caluinista, præmunitionem & præmonitionem fidelium aduersus Hæreticos Berengarianos, Albigenses, & id genus alios, auos & proauos vestros? An non tibi videtur vsus huius sacramenti illis Pontificis verbis contineri? vt in hoc Festo *tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant, tuncque omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur.*

Vis habere etiam instructionem de huius sacramenti vsu? Audi Pontificem Vrbanum. *Vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, &c. quatenus tam excelsum & tam gloriosum Festum, prædicta quinta Feria singulis annis deuotè ac solenniter celebretis, &c. subditos vestros in Dominica, dictam quintam Feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, &c. taliter se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum.* Ecce tibi instructionem de hoc sacramento, & vsum sumptionis, quem vos vnicum agnoscitis & vrgetis. Nec Dñica duntaxat hoc festũ antegrediente; sed & toto anno, vbi se dat occasio, populus ad sacrosancti huius sacramenti mysteria obeunda à Catholicis Ecclesiastis excitatur: Et nonnullis in locis, nominatim Augustæ Vindelicorum, sub vespertinas preces, quotidie per totam Octauam Corporis Christi concio, ad populum de hoc Augustissimo Sacramento instituitur.

Christianæ fidei populo ordine proponuntur & explicantur, tunc parũ referret siue ab Vrbano, siue ab alio hic festus dies institutus esset; neque Orthodoxi (sic Caluinistas indigitat) *cum Papistis de hoc die odiosè contenderent.* Si hac ratione & cautione Festum Corporis Christi ritè & legitimè instituitur; cur ergo vos Caluinistæ & Lutheristæ tale festum è vestigio vestris non indicitis? An non interest vestra, vt grex vester de vsu legitimo huius sacramenti contra abusus & hæreses erudiatur & præmuniatur? Quanquam quid ego Caluinicolis de nouo Festo introducendo concioner; cum plerique vetera omnia ita sustulerint, vt vix Dominicus dies sua in statione remanserit? Nec ignotum est, qua pertinacia rigidiores & cerebrosiores Lutherani Festo Corporis Christi sese opposuerint, cum illis à Libro, quem *Interim* seu *Interreligionem* vocitant, præciperetur, non quidem eo fine, vt Catholicorum ritu, Processiones instituerent, & sacramentum circumferrent, sed tantum, vt ab operibus externis abstinerent, & id agerent, quod alijs Festis diebus actitare solent. Domo potius & patria, migrare voluerunt, quàm Festum hoc, etiam cum hac conditione & restrictione admittere.

At cedo, Caluinista, num tu censes institutione huius Festi Christianos de legitimo vsu Eucharistiæ non informari, & aduersus Hæreses non præmuniri? An non ipsemet Pontifex Vrbanus in sua Bulla palam profitetur, Festum hoc institui debuisse, *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam?* Idem Pontifex in eadem Bulla. Nos *itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendũ, vt de tanto sacramento,*

præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior & specialior annuatim memoria celebretur. An non vides hîc, ô Caluinista, præmunitionem & præmonitionem fidelium aduersus Hæreticos Berengarianos, Albigenses, & id genus alios, auos & proauos vestros? An non tibi videtur vsus huius sacramenti illis Pontificis verbis contineri? vt in hoc Festo *tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant, tuncque omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur.*

Vis habere etiam instructionem de huius sacramenti vsu? Audi Pontificem Vrbanum. *Vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, &c. quatenus tam excelsum & tam gloriosum Festum, prædicta quinta Feria singulis annis deuotè ac solenniter celebretis, &c. subditos vestros in Dominica, dictam quintam Feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, &c. taliter se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum.* Ecce tibi instructionem de hoc sacramento, & vsum sumptionis, quem vos vnicum agnoscitis & vrgetis. Nec Dñica duntaxat hoc festũ antegrediente; sed & toto anno, vbi se dat occasio, populus ad sacrosancti huius sacramenti mysteria obeunda à Catholicis Ecclesiastis excitatur: Et nonnullis in locis, nominatim Augustæ Vindelicorum, sub vespertinas preces, quotidie per totam Octauam Corporis Christi concio, ad populum de hoc Augustissimo Sacramento instituitur.

in manibus tenebat hostia, viuus sanguis manare cœpit, & totam mappam, quam Corporale vocant, tinxit. Quo miraculo attonitus Pontifex Vrbanus IV. Corporale primùm ad se ab Episcopo loci cum processione Vrbem veterem transferri voluit, & illud solennitate instituta, in Ecclesia Vrbeuetana recondidit. Quæ omnia ex eiusdem Pontificis Bulla, quæ adhuc extat, intelliguntur. Hæc Onuphrius. Quæ quàm Sacramentario palato & stomacho iucunda sint, nemo ignorat.

Eadem insuper facilitate credo, te non probare sententiam Ptolemæi Lucensis, quæ originem huius Festi precibus S. Thomæ Aquinatis, Vrbano Pontifici oblatis, adscribit.

Cæterùm, quod ais, te non approbasse Balæi tui sententiam, id vt tibi assentiar, hodie ab animo meo impetrare nequeo, & si bene me & te noui, arbitror eandem difficultatem crastino, perendino, & omnibus consequentibus vitæ meæ diebus futuram. Tune non approbasti sententiam, quàm cum tuo Balæo cæteris *certiorem* nominas? Tune non approbasti sententiam; quam Pontifici & Pontificiis *ignominiosam*, vel certè parũ honorificam existimas; cuius caussa totam narrationem de Eua ab Onuphrio figmentis annumeratam ais? *Turpe enim & valde ignominiosum fore putauit Onuphrius*, agnoscis, opinor, tua verba, *si hoc Festum, quo Pontificij non habent maius, in vnius mulierculæ gratiam institutũ diceretur.* Num fieri potest, vt ex variis sententiis non probes & amplectaris eam, quæ Pontificiis notam turpitudinis & ignominiæ, tuo iudicio, inurit? Et quis, vnquam, præter te, & tibi similes simios dixit aut scripsit; Festum hoc *in vnius mulierculæ gratiam* institutum esse?

Num

Num Catholici, qui Euæ huic & alijs de Festo hoc diuinas reuelationes obtigisse non inficiantur, ideo concedunt, festum istud *in vnius mulierculæ gratiam* in Ecclesiam introductum fuisse? Num hoc Pontifex in sua constitutione asserit? Cui, obsecro, sani capitis fidem facies, te non probasse sententiam, quæ mentem tuam adeò titillauit, vt ad ista verba Pontificis Vrbani; *Intelleximus autem olim, dum in minori officio essemus constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis, &c.* adieceris hanc glossulam, vel potius prægrandem calumniam: *Imò mulierculis mihi familiariter notis*; idque non tantum in Centone tuo de Festis; sed etiam in *Sacramentariæ Farraginis* libro quarto? Idem indicant illæ tuæ Phrases. *Cuius in suo scripto ad Euam suam Vrbanus meminit*: Et, *quia viderunt oculi tui salutare tuum*: Tu per parenthesin (*horrendum idolum*) Non disputabo de fide Epistolæ ad Euam, quam tu ex Balæo tuo sub Vrbani nomine venditas: scripta & missa fuerit ab Vrbano ad Euam illam in ditione Leodiensi Sanctimonialem; duo dixerim: Alterum est; Balæum apertè sibi contradicere, vt monui etiam lib. 1. de sacris Processionibus cap. vlt. Nam cap. 38. Centuriæ Quartæ disertè scribit, Festū corporis Christi ab Vrbano institutum esse Anno Redemptoris M. CC. LXII. Et tamen in eadem Centuria c. 2. dicit, Euæ huic Anno M. CC. LXIV. reuelationem factam esse de Festo corporis Christi instituendo & celebrando; hocque viso cœlesti impulsam, ad Vrbanum literas dedisse, & vt Festum corporis, *Papali auctoritate solennizandum ordinaret*, (ita loquitur Balæus) *submissè supplicasse*; & ad hanc Euæ supplicationem Epistolam, quam Balæus reci-

 tat,

tat, rescripsisse. Si Anno M. CC. LXII. Festum Corporis Christi ab Vrbano iam institutum & promulgatum fuerat, vt dicit Balæus cap. 38. Centuriæ quartæ; quomodo fieri potuit, vt Anno M. CC. LXIV. Euæ huic de Festo corporis Christi instituendo cælestis visio offerretur, eoq; viso adacta Eua Pontifici supplex fieret; vt celebritatem illā corporis Christi auctoritate sua in mores & vsum Christianæ Ecclesiæ induceret vt scribit idem Balæus in eiusdem quartæ Centuriæ cap. 2. Sed Balæus non præter solitum ipse sibi crura secanda præbet. Nil vsitatius, quàm vt amentia ex præcipiti odio cæci in antilogias varias incurrant.

Deinde aduersatur hoc diplomati Vrbani, qui palam ait; reuelationes istas nonnullis Catholicis obtigisse, *cum ipse adhuc in minoribus officiis versaretur;* hoc est, ante pontificatum adeptum. Qua ergo fronte scribit Balæus Euæ hanc visionem oblatam Anno M. CC. LXIV. quando iam Vrbanus in Pontificatu tertium annum agebat?

Alterum, quod supra me dicturum aiebam, est istud: Prædicantes Lutheranos & Caluinianos ex suo ingenio & affectu alios æstimare: Quia enim ipsi vix, ac ne vix quidem, cum vlla fœmina honestam, & legibus pietatis, ac pudicitiæ consentaneam amicitiam colere norunt; cæteros quoque licet integros vitæ scelerisque puros sibi similes equos, & mulos, *quibus non est intellectus*, hircosque libidinosos esse autumant: à quorum suspicaci petulantia vix ipse Ioannes Apostolus tutus erit; vix ipse Paulus, quorum ille ad *Electam Dominam*, natosque eius tàm dulcem & amabilem Epistolam dedit, pollicens

se plura coram acturum & tractaturum; *vt gaudium vestrum plenum sit*: Iste autem toties suis in Epistolis mulieres tam familiariter & amicè saluere iubet. Nam de sanctissimis viris Hieronymo & Augustino non est quod quidquam dicã: Prędicantibus n. nulla erit religio culpare, & in suspicionem vocare istos, præsertim S. Hieronymum, quòd literas tàm prolixas & crebras ad variæ conditionis fœminas missitarint. Sed valeant isti amatores, fermè dixeram, adoratores *Euarum, Elsarum, Ketharum, Gretarum* & *Costarum* (his enim blandidicis dictis passim vtitur Lutherus in Epistolis suis Latinis, Tomo secundo) qui quàm sanctè viuant, suspicionibus suis, dictis & factis passim testatum reddunt.

Obijcit Caluinista. Serarium lib. 2. de Processionibus cap. 9. non improbare sententiam de Eua, quam Gretserus reijcit. *Nam licet non totaliter*, (audis elegantiam Scholasticam Hospiniani, cui alioqui Scholastici nil aliud sũt, quàm nautea & nausea) *tamen ex parte ad Euam Reclusam refert*. Ita est: sed ex meliore & fideliore scriptore, quàm sit Balæus, nempe ex Diestemio. At nunquam dixit Serarius, reuelationem Euæ factam, Vrbano Pontifici caussam vnicam & integram fuisse huius Festi instituendi, vt vos fabulamini cum Balæo vestro. Nec Diestemius soli Euæ reuelationem obtigisse scribit; sed etiam duabus alijs virginibus, nimirum Iulianæ, quæ iuxta ciuitatem Leodiensem in *Hospitali leprosorum* vitam religiosam agebat: Et in eodem stadio decurrendo sodali eius Isabellæ; & Euæ, quæ secretam ab omnibus reclusamque vitam Leodij in Ecclesia S. Martini viuebat; & Iulianam cœlestibus moni-

monitis tandem impulsam rem Canonico cuidam patefecisse; hunc autem eundem retulisse ad Iacobum de Trecis tunc Archidiaconum Leodiensem, qui postea ad sumi Pontificatus apicẽ euectus, Vrbani IV. nomen tulit. de quo legi potest Serarius libr. 2. de Processionibus cap. 9. vel ipse Diestemij libellus, qui Anno salutis M. D C. III. Duaci euulgatus est, ad calcem eius Operis, quod *Magnum Speculum Exemplorum inscribitur.*

Quibus valdè concordant Vrbani prius memorata verba. *Intelleximus autem olim dum in minori essemus officio constituti, quod fuerat quibusdam Catholicis diuinitus reuelatum, festum huiusmodi generaliter in Ecclesia celebrandum, &c.* Nam *minus illud officiũ,* in quo tunc se *constitutum* dicit, erat Archidiaconatus Ecclesiæ Leodiensis. Inde ad Virdunensem Episcopatum, postea ad Hierosolymitanum Patriarchatum, & tandem ad sedis Apostolicæ supremum culmen vocatus est. Nec mirabitur, Deum in huius Festi institutione vti voluisse mulierum ministerio, qui cogitauerit tres *Marias* à Deo delectas fuisse, vt Resurrectioni Saluatoris nostri testimonium perhiberent, etiam apud ipsos Apostolos, prout liquet ex verbis Angeli Marci 16. *Ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.*



CAPVT

CAPVT II.

An huius Festi institutio sit contra praeceptum diuinum.


NEgaui, & adhuc nego, institutionem huius solemnitatis vlli præcepto diuino repugnare: caussas negationis attuli lib. 1. de Processi. cap. 19. Quas cum Hæreticus refutare non posset, ad calumnias & Pseudologias dilapsus est: Clamat enim; *Monachum mutare controuersiæ statum: Non n. quæri, an Christus festis diebus sit colendus, sed an tali festo; & quidem tali circumgestatione, ostensione & adoratione sacramenti.* At Monachus recinit Caluinicolam hunc, more sibi solenni, oĩa miscere ac confundere. Nam alia quæstio est; num fas sit Christo, seu corpori Christi festũ instituere; alia, num corporis Christi seu sacramenti circumgestatio, ostensio, & adoratio in hac festiuitate piè & licitè vsurpetur. Prioris partem affirmantem probauit Gretserus statim in vestibulo capitis XIX. Posteriorem, in *ipso* capitis decursu, vbi & illud demonstratum; nihil idololatriæ & Ethnicismi festo huic admisceri; vt calumniatur Caluinista. An vis, vt te imiter, tenebrasque luci, non autem tenebris lucem inferam? quod fieri necesse, quando omnia indistinctè & indigestè vnum in cumulum congeruntur.

Ait Caluinista. Si *Papistæ hoc Festum in libertate Christiana hunc in vsum celebrarent, vt quotannis certo die populus erudiretur, de vero vsu huius sacramenti, & præmuniretur contra omnes hæreses & abusus, quemadmodum alias per circulum anni in reliquis Festis Christi, articuli*

Christianæ fidei populo ordine proponuntur & explicantur, tunc parũ referret, siue ab Vrbano, siue ab alio hic festus dies institutus esset; neque Orthodoxi (sic Caluinistas indigitat) *cum Papistis de hoc die odiosè contenderent.* Si hac ratione & cautione Festum Corporis Christi ritè & legitimè instituitur; cur ergo vos Caluinistæ & Lutheristæ tale festum è vestigio vestris non indicitis? An non interest vestra, vt grex vester de vsu legitimo huius sacramenti contra abusus & hæreses erudiatur & præmuniatur? Quanquam quid ego Caluinicolis de nouo Festo introducendo concioner; cum plerique vetera omnia ita sustulerint, vt vix Dominicus dies sua in statione remanserit? Nec ignotum est, qua pertinacia rigidiores & cerebrosiores Lutherani Festo Corporis Christi sese opposuerint, cum illis à Libro, quem *Interim* seu *Interreligionem* vocitant, præciperetur, non quidem eo fine, vt Catholicorum ritu, Processiones instituerent, & sacramentum circumferrent, sed tantum, vt ab operibus externis abstinerent, & id agerent, quod alijs Festis diebus actitare solent. Domo potius & patria, migrare voluerunt, quàm Festum hoc, etiam cum hac conditione & restrictione admittere.

At cedo, Caluinista, num tu censes institutione, huius Festi Christianos de legitimo vsu Eucharistiæ non informari, & aduersus Hæreses non præmuniri? An non ipsemet Pontifex Vrbanus in sua Bulla palam profitetur, Festum hoc institui debuisse, *ad confundendam specialiter Hæreticorum perfidiam, & insaniam?* Idem Pontifex in eadem Bulla. Nos *itaque ad corroborationem & exaltationem Catholicæ fidei, dignè ac rationabiliter duximus statuendũ, vt de tanto sacramento,*

præter

præter quotidianam memoriam, quam de ipso facit Ecclesia, solennior & specialior annuatim memoria celebretur. An non vides hîc, ô Caluinista, præmunitionem & præmonitionem fidelium aduersus Hæreticos Berengarianos, Albigenses, & id genus alios, auos & proauos vestros? An non tibi videtur vsus huius sacramenti illis Pontificis verbis contineri? vt in hoc Festo *tam clerici, quàm populi gaudentes in cantica laudum surgant, tuncque omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ salutaris: tunc psallat fides, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur.*

Vis habere etiam instructionem de huius sacramenti vsu? Audi Pontificem Vrbanum. *Vniuersitatem vestram monemus & hortamur in Domino, &c. quatenus tam excelsum & tam gloriosum Festum, prædicta quinta Feria singulis annis deuotè ac solenniter celebretis, &c. subditos vestros in Dominica, dictam quintam Feriam proximè præcedente, salutaribus monitis sollicitè per vos & per alios exhortantes, vt per veram & puram confessionem, &c. taliter se studeant præparare, quòd huius pretiosissimi sacramenti mereantur fieri participes illa die, possintque ipsum suscipere reuerenter, ac eius virtute augmentum consequi gratiarum.* Ecce tibi instructionem de hoc sacramento, & vsum sumptionis, quem vos vnicum agnoscitis & vrgetis. Nec Dñica duntaxat hoc festũ antegrediente; sed & toto anno, vbi se dat occasio, populus ad sacrosancti huius sacramenti mysteria obeunda à Catholicis Ecclesiastis excitatur: Et nonnullis in locis, nominatim Augustæ Vindelicorum, sub vespertinas preces, quotidie per totam Octauam Corporis Christi concio, ad populum de hoc Augustissimo Sacramento instituitur.

Reliqua, quæ Hospinianus blaterat, mera sunt conuicia & mendacia, furentis animi luculentá testimonia; Vt I. *Papistas in hoc Festo nihil de Sacramento concionari.* II. *sed id tantum Ethnica pompa circumgestare, ostentare, adorare.* III. *Et sic eo impiè abuti.* IV. *Papistas hoc die frequentius & horribilius, quàm aliis diebus, exercere abusus & idolomanias,* V. *Nihil hic esse, nisi mutam actionem sine vlla annunciatione mortis Dominicæ, & distributione inter populum.* Hæc & huius generis alia, quæ ex Caluinianis faucibus Hospinianus eructat, eo habeantur & reponantur loco, quo digna sunt. Quis ille? Quid rogas? An nescis, quæ statio debeatur lœdorijs & Pseudologijs?

CAPVT III.

An equus in Festo corporis Christi venerabile Sacramentum portet?

IMpudens suum mendacium, quod in Festo corporis Christi *equus albus, mansuetus & phaleratus, non longè ante Pontificem portet sacramentum, cum tintinnabulo benè tinniente ad collum; Baldachino suprà expanso cum insignibus Papæ;* noua nunc impudentia & mendaciloquentia Caluinista exornat. *Respondeo*, inquit, *me ex Cæremoniali Romano addidisse: equum candidissimum portare hoc sacramentum etiam in puluino ornato, & hierotheca inclusum in processione coronati Pontificis ad Lateranum, &c.* Non extricas te, ô Nouator, ex pedicis, in quas ipsus te induisti. Non quæritur, quid fiat alibi & alias, & quando Pontifex ex vrbe abiens iter facit. Hoc quæritur,

tur, vtrum in Festo Corporis Christi, quod ex institutione Vrbani IV. celebratur proxima Feria Quinta post Octauam Pétecostes, vtrum, inquam, in hoc festo *equus albus, mansuetus & phaleratus* sacramentum portet. Tu in prima editione Centonis tui de Festis pag. 75. b. apertissimis hisce verbis affirmasti. *Romæ in* HOC FESTO (Corporis Christi) *in medio Pontificalis pompa, non longè ante pontificem, ducitur equus albus, mansuetus, phaleratus, portans sacramentum, quod ipsi in puluino ornato & Hierotheca inclusum Sacrista imposuit.* Videsne tua verba; In Hoc Festo? Cedo, de quo Festo intelliguntur? An non de Festo Corporis Christi? An non de illo, quod proximè antea putidissimis & sordidissimis fœdissimi Poëtastri; & totius Heliconis excrementi, Naogeorgi blasphemè insectatus fueras? Omnino de hoc Festo locutus es. At ego te mentiri in libris de Processionibus dixi; & nunc iterum dico; quia Pontifex eo die fert propriis manibus venerabile sacramentum, cuius tot testes tibi dare possum, quot sunt vel aliquando fuerunt Romæ processionis in hac solennitate spectatores.

Quanquam quid opus alios testes producere? Teipsum ad testimonium dicendum voco. An non agnouisti tacitè tuum mendacium? Etsi hanc agnitionem ore nequaquam confessus fueris: attamen opere eam confessus. Nam in secunda editione Farraginis tuæ de Festis; pro his verbis: *Romæ in hoc Festo.* Supposuisti ista: *Romæ in aliquibus Processionibus.* Vnde ista mutatio, nisi quia vidisti, iure tibi à me dicam mendacij scriptam fuisse? Nimis fatuus es, si nos tam fatuos arbitraris, vt has tuas artes non animaduertamus. Nec tibi vsque adeo mirum accidere debet, si

non in Corporis Christi Festo, sed in aliis nonnullis processionibus venerabile Sacramentum, seu Christum in hoc sacraméto equus portat. An nescis cum in terris inter homines degeret, asino vectatum esse, & quidem ingenti pompa & populi in processionem coacti applausu?

CAPVT IV.

An Caluinista mentitus fuerit, quando scripsit, Pontificios in processione Corporis Christi nihil omnino habere, cuius vel tantillum in sacris literis exstet.

Caluinistam mentiri affirmaui lib. 1. de sacris processionibus, cuius affirmationis me necdum pœnitet. Et ne tantum affirmarem, vanitatem Nouatoris redargui cum aliis argumentis & exemplis, tum tribus processionibus olim in veteri Testaméto in reductione & translatione Arcæ fœderis institutis à Dauide & Salomone, 2. Reg. 6. 1. Paralip. 15. 3. Reg. 8. 2. Paralip. 5. Nam si Arca fœderis sine vllo idololatriæ crimine, tanto apparatu, tantoque triumpho transferri & deduci potuit, cur venerabile sacramentum Eucharistiæ, tali Pompa & celebritate, saluis religionis legibus, honorari non posset? Hospinianus varia adhæc oggerit.

I. *Arcam fœderis non esse Eucharistiam; hanc enim in actione positam esse: Arcam verò fuisse sacramentum præsentis maiestatis & opis diuinæ. Eucharistiam à Christo institutam, vt sit mortis suæ monimentum, quò percipientes eam in memoriam reuocët, quòd Christus pro ipsis mortuus sit.*

sit: hoc totum in Papatu negligi, puppimque ac proram religionis Pontificiæ in circumgestatione, in pompa & aspectu Eucharistiæ collocari.

Quàm recondita mysteria promit nobis Caluinianus iste Hospes? Quis nostrum hactenus nouit Arcam fœderis non esse Eucharistiam? & vice versa, Eucharistiam non esse Arcam fœderis? At dic, Caluinista, num id, à cuius similitudine, ad aliquid aliud comprobandum argumentatio ducitur, oportet idem esse cum illo, ad quod comprobandum argumentatio ducitur? certè adeò non debet idem esse; vt nec possit quidem idem esse; quia si idem sit, iam non erit similitudo, sed *identitas*. Ergo licet aliud quid sit Eucharistiæ sacramentum; aliud; Arca fœderis; à solennitate tamen, qua Arca fœderis deducta & translata est, rectissimè argumétamur ad pompam & celebritatem, quâ quotannis Eucharistia, frequétissimo populi concursu circumfertur & deducitur: nisi forte Caluinista hoc suo diuerticulo, ipsi etiam S. Paulo obstrepere cogitet, argumentum pro Resurrectione corporum adducenti ex seminibus in terram sparsis; 1. Cor. 15. *Insipiens*, inquit Apostolus, *tu quod seminas nō viuificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt pote tritici, aut alicuius cæterorum. Deus autem dat illi corpus sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* Quibus verbis innuit Apostolus hanc Conclusionem: Ergo diuina vi & potestate poterit etiam fieri, vt corpus humanum, licet putrefactum, & in cineres resolutum, denuo coagmentatum reflorescat & reuiuiscat. An hic quoque occlamabit Caluinista? *Exemplum dissimillimum. Aliud est*

est granum seu semen tritici, auenæ, hordei, siliginis; aliud corporis humani fabrica: vt vel ipsis oculis liquet. *Frustra igitur à seminibus terræ mandatis, argumentum sumitur ad stabiliendam assimilem corporum Resurrectionem.* Imo Hospinianus hac sua falce non tantum hanc diui Pauli argumentationem; sed & omnes simpliciter à similitudine petitas succidere poterit; cum similitudo propriè dicta semper sit inter diuersa.

Quod verò Eucharistia solùm in actione seu sumptione sit posita; ita vt *extra hanc nec nomen suum retinere queat*, vt Caluinista scribit, vetus est Geneuensis scholæ & millies repetita cantilena: sed repetita tantùm, nunquam demonstrata. Iam quid obstat, quo minus Eucharistia sit monumentum mortis Christi tam intra, quàm extra sumptionem? An si quis tibi in memoriam sui Testamēto esculenta, vel poculenta vel vestimenta legasset; ea monumentum defuncti amici non essent: nisi quando esculenta & poculenta reipsa sumeres, aut vestimenta indueres? An viso venerabili Eucharistiæ sacramento, siue in Ecclesia, siue in processione publica, non commonefit homo passionis & mortis Dominicæ? An non hæc est natura signorum instrumentalium, vt, præter se, aliud menti offerant? Nobis profectò æquè extra vsum, ac in ipso vsu, Eucharistia signum instrumētale est passionis & mortis Dominicæ, atque adeò immensæ illius charitatis, qua Christus nos in finem vsque dilexit.

Mentiris autem, O Caluinicola, cum scribis, *Papistas hanc mortis Dominicæ commemorationem negligere, proramq; ac puppim religionis suæ in circumgestatione, pompa & aspectu collocare.* Non est ita. Proram & pup-

pim

pim in omnibus illis ponimus; quæ & ad confectionem, & ad venerationem, & ad legitimam huius sacramenti sumptionem, ex diuina institutione, & Ecclesiasticæ traditionis canone requiruntur.

Occinit Caluinista. *Arcam non fuisse translatam ob circumgestationem & ostentationem, sed vt deduceretur in eum locum, quem Dominus ad id elegerat.* Non quæritur, cur Arca translata fuerit; sed quomodo; hoc est, quo apparatu; quo ritu, quo populi accursu, iubilo, tripudio. Hæc si Israelitis licita erant in translatione Arcæ, cur Christianis non liceret similia agere in circumgestatione Corporis Christi; Cum hac autem Arcæ translatione & deductione, necessariò coniuncta fuit seu gestatio, seu circumgestatio per loca, per quæ Arca deferebatur, & ostensio, seu, vt loquitur Caluinista, *ostentatio.* Nec dubito, populum incredibili voluptate ex intuitu Arcæ perfusum esse.

Nec quæritur, vtrum Arca ex loco, ad quem translata est, rursus educta aliquando fuerit, *ad superstitiosos vsus*, qua phrasi Caluinista vtitur; quia certum est. I. Eductam fuisse ex domo Obededom, in quã, percusso Oza, inducta fuerat: nam post tres menses deportata est in ciuitatem Dauid. Certum est II. Ex hoc ipso loco tandem in Templum à Salomone exstructum, illatam fuisse, vt scriptum est 3. Reg. 8. & 2. Paralip. cap. 5. Certum est III. Arcam aliquando, vrgente necessitate, eductam esse ad alios vsus & fines, vt ad auertendas calamitates imminentes, vel ad debellandos & profligandos hostes: id enim clarè testatur oppugnatio & expugnatio Vrbis Iericho, Iosue cap. 7. & factum Israelitarum 1. Reg. 4. vbi legimus, quomodo Arca fœderis ex Silo in Castra

adducta fuerit, præsidij & subsidij caussa. *Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini,& veniat in medium nostri,vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* Cuius aduentu Philistæi mirificè perterrefacti & consternati sunt;nec arma Philistæis prosperè cessissent,nisi Dominus Israeli ob tot perpetrata scelera iratus,pœnas ab illis per Philistęos reposcere statuisset.

Secundum effugium Hospiniani est istud: *Dauidem expressum & præscriptum mandatum à Deo habuisse,vt hoc faceret.* Vbi verò hoc expressum & præscriptum mandatum? Eruit illud Caluinista ex cap. 13. libri primi Paralip. vbi Dauid Tribunos, Centuriones,vniuersos principes & omnem cœtum Israël ita affatur: *Si placet vobis, & à Domino Deo egreditur sermo, quem loquor,mittamus ad fratres nostros reliquos,&c.* En perspicuum textum,ex quo luce dilucidius liquet, Dauidem,quidquid in illa Arcæ translatione fecit, peculiari & speciali mandato Dei fecisse. Sed apage, ô Caluinistice nugator: quia verba illa, nihil aliud indicant, quàm Arcam transferri debere, si ita videatur Tribunis, Centurionibus, aliisque de gente Israëlitica;& si etiam id, quod Dauid loquebatur, & meditabatur,consonum sit & conforme diuinæ voluntati, vt autem aliquid diuinæ voluntati consentaneum, & à Domino Deo egredi censeatur, non oportet,vt speciali aliquo præcepto præcipiatur; satis est,quòd per se sit honestum,pium, laudabile, cultuique diuino congruum: nam Caluinistæ quoque sermonem,quo iubent, vt populus diebus Dominicis ad conciones, & ad verbum Geneuense audiendum congregetur; vtique à Domino egressum,& etiamnum egredi opinantur: & tamen nullum mõ-

strare

strare possunt speciale præceptum Dei, quo illis iniungatur, vt die Dominico ab operibus manuariis & seruilibus abstineant; & audiendis concionibus operam impendant.

Sed ecce tibi luculentius adhuc testimonium ex cap. 15. lib. 1. Paralip. vbi Dauid dicit: *Illicitum est, vt à quocunque portetur Arca Dei, nisi à Leuitis quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi vsq; in æternum.* Quid infers ex hoc testimonio? Certè istud. Ergo Dauid expressum & præscriptum à Deo mandatum habuit, vt hoc faceret; hoc est, vt de Domo *Abinadab, qui erat in Gabaa;* Arcam Dei adduceret; & omnia illa ageret, quæ sacra Scriptura Dauidem in translatione illa egisse memorat. At quis tam obtuso pectore est, qui non aduertat, hanc consecutionem esse amentis & deliri capitis? cum verba illa nihil aliud significent, quàm Arcam, si aliquò portanda, vel alicunde absportanda sit, portandam esse à Leuitis, prout disertè Dominus cap. 4. libri Numerorum præceperat.

Si quis ergo stultitiam Hospiniani ad viuum resecare velit; & omnia inuolucra, quibus operitur, amouere, hanc tandem delirationem conspiciet. *Deus præcepit Numerorum cap. 4. vt Arca non nisi à Leuitis portetur, idemque repetiuit Dauid 1. Paralip. 15. Ergo Dauid expressum mandatum habuit de Arca fœderis transferenda, & omnibus illis agendis, quæ sacræ literæ à B. Dauide in hac solennitate factitata referunt.*

In processione, Hierichuntina septendiali, qua Arca fœderis circumferebatur, Deus non tantum ipsam circuitionem ciuitatis; sed & formam & modum eius minutatim præscripsit. *Circuite vrbem,* aie-

bat Deus ad Iosue cap 6. *cũcti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollent septem buccinas, quarum vsus est in Iubilæo, & præcedent Arcam fœderis, septiesque circuibitis ciuitatem, & sacerdotes clangent buccinis.* En quàm omnia sigillatim & enucleatè Deus in ista militari, vt sic vocem, processione præscribat: A cuius iussu Iosue etiam non discessit. Vocauit enim Iosue Sacerdotes, *& dixit ad eos: Tollite Arcam fœderis, & septem alij sacerdotes tollant septem Iubilæorum buccinas; & incedant ante Arcam Domini. Ad populum quoque ait: Ite & circuite ciuitatem, armati præcedentes Arcam Domini, &c. Reliquum vulgus Arcam sequebatur, &c.* Si Hospinianus Caluinigena nobis simile quid de translatione Arcæ ostenderit, tum fidẽ apud nos inueniet. Si, inquam, ostenderit. I. Dauidi sigillatim diuinitus præceptum esse, vt Arcam primitus quidem ex domo Abinadab deduceret; postea ex domo Obed Edom. II. Si ostenderit mandatum ei esse, vt *percuteret in organis armigatis, saltaretq; totis viribus ante Dominum: & vt accingeretur Ephod lineo:* & vt *septem choros haberet, & victimam vituli, cumq; transcendissent, qui portabant Arcam Domini; immolaret bouem, & ouem, & arietem;* & vt Dauid, *& omnis Israel ducerent Arcam Testamenti Domini in iubilo & in clangore buccinæ.* Vbi itidem speciatim Dauidi mandatum est dicere Principibus Leuitarum, *vt*, quod lib. 1. Paralip. cap. 15. legimus, *constituerent de fratribus suis cantores in organis Musicorũ, nablis videlicet, & lyris, & cymbalis, vt resonaret in excelsis sonitus lætitiæ?* Vbi mandata cætera, quæ eodem loco Dauidem & Israëlitas fecisse Scriptura memorat? Vbi præceptum, vt, quod cap. 16. proditum est, *Dauid constitueret coram Arca Domi-*

Domini de Leuitis, qui ministrarent, & recordarentur operum eius, & glorificarent atq; laudarent Dominum Deum Israel, &c. & vt derelinqueret ibi coram Arca fœderis Domini Asaph & fratres eius, vt ministrarent in conspectu Arcæ iugiter per singulos dies, & vices suas. Horum & similium nullum vnquam speciale præceptum Dauidi à Deo datum producet Caluinista. Si igitur tanta pompá, tanta paratura, tanto iubilo & tripudio Dauid Arcam fœderis bis transtulit; quid mirum, si Christiani, sacramentum illud in quo Christus corpore, anima & diuinitate sua verè præsens est, summa celebritate palam circumferant, idque ad redarguendam Hæreticorum perfidiam, & ad stabiliendam in animis fidelium rectam fidem?

Porrò Dauidem nec de ritu, nec de translatione Arcæ speciale præceptum à Deo accepisse, manifestum euadit ex modo loquendi Dauidis, quo in Concilio de Arca transferenda habito, vsus est. Ita enim Scriptura lib. 1. Paralip. cap. 13. *Iniit autem consilium Dauid cum Tribunis & Centurionibus, &c. & ait, &c. Si placet vobis, & à Domino Deo nostro egreditur sermo, quem loquor: mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israël, &c.* Nam si, vt Caluinista dicit, habuisset Dauid *expressum & præscriptum mandatum*; non opus erat cùm suis Consiliarijs inire consilium; neque: *Si placet vobis*: sed absolutè dixisset: *Hoc præcipit Dominus*: *hoc iubet Dominus*; vt scilicet Arcam Domini transferamus, & vt talibus cæremonijs ac ritibus transferamus: quemadmodum Iosuæ, vbi à Domino mandatum acceperat, vt Iericho circuiretur cum Arca; non diu cum suis deliberauit; neq; dixit: *Si placet vobis*; sed præcisè, vocatis sacerdoti-

bus hoc præcepit: *Tollite Arcam fœderis, &c.* Et populo *Ite & circuite ciuitatem.*

Quod de Dauidis Processionibus assero, id multò magis assertum volo, de processione quam instituit Rex Salomon, quando exstructo templo transtulit Arcam *de ciuitate Dauid quæ est Sion* 2. Paralip. 5. & 3. Reg. 8. Quod enim, & vbi, & quando mandatum diuinitus acceperat Salomon, *vt congregati ante Arcam immolarent arietes & boues absque vllo numero?* seu vt lib. 3. Regum scribitur, vt *Rex Salomon & omnis multitudo Israël, quæ conuenerat ad eum, graderetur cum eo ante Arcam, & immolarent oues & boues absque æstimatione & numero?* Certè si quis rem penitius introspiciat, Christiani in Festo corporis Christi minus adhuc facere videntur, quàm Dauid & Salomon egerint in translatione Arcæ. Et tamen quæ pretiosior & diuinior? Arca an Eucharistia? *In Arca nihil erat aliud nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filiis Israël, &c.* vt dicitur 3. Reg. 8. Et 2. Paralip. 5. quibus addit Apostolus Hebr. 9. *vrnam auream habentem manna, & virgam Aaronis, quæ fronduerat.* At quid Eucharistia, cœlestis ista Arca, continet? Ringaris & rumparis licet *Sacramentiperda.* Corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, *verè, realiter,* & *substantialiter.* Quod igitur honoris, cultus, reuerentiæ & obseruantiæ argumentum nimium esse potest? Verè pius ille Hymnographus. *Lauda Sion Saluatorem. Lauda Ducem & pastorem, in hymnis & canticis. Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis.*

Imò

Imò, audi Caluinista, quod tibi forsan adhuc mirabilius eueniet. Licet hoc Sacramentum Christi corpus & animam verè & realiter non contineret, sed tantum esset memoria Dominicæ passionis, & mortis, & monumentum noui fœderis, quod Redemptor noster nobiscum inijt; posset tamen in ordine ad supremum Testamenti huius Auctorem & conditorem non minus honorari, ac olim Arca illa, quæ symbolum erat pacti à Deo cum Israëlitis initi. Quantò magis nunc, cum Arca hæc nostra, vt ita loquar, Eucharistica, non vetus illud Manna, sed ipsissimum panem vinum, qui de cœlo descendit, in se conclusum teneat, par est, vt omni honoris genere à mortalibus efficiatur.

His adde; quamuis Dauid habuisset speciale mandatum Dei de Arca transferenda, (quod tamen mandatum monstrare haud procliuè erit huic Caluinistæ) nihilominus semper quærere liceret, cuius iussu Arcam ijs ritibus & cæremonijs, quas scriptura commemorat, transtulerit. Quis ei præcepit, *vt totis viribus saltaret ante Dominum*, hoc est, ante Arcam, *accinctus Ephod lineo*? Idem de Salomone dictum esto.

Lubet porrò ex Caluinicola sciscitari, an peccauerint illi, qui vt Matthæi cap. 21. Marci 11. & Luc. 19. legimus; Christum *sedentem super asinam & pullum filium subiugalis*, forma & schemate processionis in vrbem Hierosolymitanam introduxerunt? sanè si Caluinista doctrinæ suæ conformia blaterare velit, dicere debebit, istos peccasse; nam multa fecerunt, quæ eis à Christo mandata esse ex sacris literis probari nequit. Vbi enim eis mandatum est, vt huiusmodi

iusmodi processionem instituerent, qualem Euangelistæ nobis describunt? Vbi mandatum est, vt super asinam & pullum imponerent vestimenta sua? Quis præcepit plurimæ illi turbæ, vt vestibus viã transituro domino sterneret? Quis præcepit alijs, vt ramos de arboribus cæderent; ijsdemque viam honoris & reuerentiæ caussa operirent? Quis præcepit *turbis, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, vt clamarent*, dicentes: Hosanna filio Dauid: Benedictus, qui venit in nomine Domini? Quo mandato diuino freti illi, *qui cum audissent, quia Iesus venit Hierosolymam, acceperunt ramos palmarum, & processerunt obuiam ei, & clamabant: Hosanna, Benedictus, qui venit in nomine Domini*, vt scribitur Ioan. 12. Si istis hæc & id genus alia in honorem Christi, sine speciali & expresso mandato diuinitus edito impunè fuit facere; cur Christiani scelere aliquo se obstringerent, quando eundem Christum simili quodammodo processione ac ritu venerantur, qui licet speciale mandatum de festo & cultu huiusmodi non habeant; habent tamen præceptum generale colendi & adorandi Deum; & Redemptorem nostrum Iesum Christum.

Si obijciat Caluinista; *ea, quæ Hierosolymitæ egerunt, peculiari Spiritus sancti motione & impulsione facta esse:* Haud equidem abnuo. Interim tamen quæro, vbi scriptura hoc disertè testetur? Addo deinde, Catholicam quoque Ecclesiam Festum, processionem & cæremonias in hoc Festo vsurpari solitas, instinctu & afflatu Spiritus sancti instituisse, non enim de nihilo est illa Saluatoris promissio Ioan. 14. *Et ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum*

vobiscum in æternum, spiritum veritatis, qui, vt ibidem Christus pollicetur, *docebit vos omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis:* Et cap. 16. *Cùm autem venerit spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem,* quæ certè promissiones non pertinent ad solos Apostolos; iam pridem ex hac militante Ecclesia ad triumphantem euocatos, sed etiam ad Apostolorum successores Episcopos, & pastores, præsertim ad supremum pastorum pastorem, & ad columnam & firmamentum veritatis, hoc est, ad Ecclesiam, pertinent; quibus æquè ac Apostolis iste spiritus veritatis, necessarius est. Sed ad Dauidis processiones reuertamur.

Obijcit Caluinista Dauidem fuisse Prophetam. Quid infers? Num hoc? *Ergo quidquid in translatione Arcæ egit, id manifesto & expresso Dei mandato fecit.* At infirma est hæc consequentia, quia necesse non est, vt quidquid agit Propheta, id peculiari & expresso mandato Dei faciat. Pro testimonio do tibi omnium Prophetarum totius veteris testamenti res gestas: Et plerumque, quando Prophetæ aliquid agebant vel acturi erant, ex speciali mandato Domini, apertè id in sacris literis exprimitur. *Factum est verbum Domini ad Isaiam, Hieremiam &c. dixit Dominus Moysi, &c.*

Præterea Caluinianus cogitare debebat, Ecclesiam quoque Catholicam, id, quod instituit, sancit, & agit, instituere, sancire, & agere impulsu instinctuq; sancti Spiritus, vt dictum & probatum est cap. 19. lib. 1. de Processionibus.

Occinit Caluinicola, *hoc verum esse, quandiu Ecclesia verbum Dei sequitur. Eam autem in institutione & ce-*

D *lebra-*

lebratione Festi huius Verbo Dei nec adhærere nec inhærere.

Tuo scilicet iudicio; sed curuo & obstipo: Mirum sanè foret, si Ecclesia columna & firmamentum veritatis, à veritatis tramite exerrare & penitus excidere posset. Quis ab errore immunis erit, si hæc prærogatiua columnę & firmamento veritatis non competat? Scilicet, Veritas, ne ex consortio mortalium prorsus migrare cogeretur; quod collapsis fulcris necesse erat; derepente ex Ecclesia Romana, transuolauit ad Witebergensem, Geneuensem & Turegiensem, easque tanquam immota fulcra, & adamantinos tibicines, sibi supposuit; præcauens, ne posthac in simile discrimen incurrat.

Obstrepit Prædicans: *Scripturam testari, Dauidem in omnibus operibus suis Dominum consuluisse: ac nihil inconsulto ipso temerè incæpisse.* Quæso, vbi est hæc scriptura, hoc, quod tu dicis, vniuersim de omnibus operibus Dauidis testificans? Produc, quæso, hanc scripturam, vt & nos ipsam inspiciamus. Ne verò te & nos fallas, noueris eiusmodi testimonium scripturæ tibi proferendum esse, quo planum fiat, Dauidem in omnibus operibus suis ita speciale consilium Dei expetijsse; & peculiare itidem Dei mandatum accepisse; quemadmodum expetijt & accepit 2. Regum 2. vbi legimus: *Igitur posthæc consuluit Dauid Dominum, dicens; Num ascendam in vnam de ciuitatibus Iuda? Et ait Dominus ad eum: Ascende, &c.* vt alia huius generis exempla prætercam. Nam quod Dauid aliquid aggressurus, more omnium piorum, Deique amantium, cœlestem opem semper implorauerit, & cœptis suis diuinum numen aspirare postularit, id nemo abnuit; sed nihil ad rem facit; quia

ciet; quia inde tuum commentum non magis extundes ac ex pumice aquam. Singulæ propemodum pagellæ primi, secundi & tertij Regum, & primi Paralipomenon, quibus res gestæ Dauidis exponuntur, exempla tibi subministrabunt, ex quibus perspicuè intelliges, quàm vanum sit, quod Caluinista de omnibus Dauidis operibus effutiuit.

Sed en tibi aliud argumentum, & quidem inuictum. *Deus olim Iosuę mandauit, vt Arcam circum mœnia Hierichuntina deportandam curaret, ergo etiam Dauidi de transferenda arca omnibusq́ translationis huius ritibus speciale mandatum dedit.* Egregiè profectò. Sed ego huic delirationi tum fidem habebo, cùm mihi mandatum Dauidi datum tam euidenter in scripturis Caluinista demonstrarit, quam euidenter in libro Iosue cap. 6. demonstrari potest præceptum, quod Iosue à Deo accepit.

At Caluinista seipso semper fit robustior & validiora missilia mittit: Ex quibus hoc sanè perquam penetrabile, & sanguinem elicere aptum eminet. *Non licet nobis, Abrahami exemplo, nostros liberos immolare & occidere: ergo neque fas est, Dauidis exemplo, sine mandato sacramentum circumgestare & ostendere.* Validius argumentum nexuisset & texuisset Hospinianus, si id ita instituisset. *Nulli fas est semetipsum suspendere exemplo Achitophelis & Iudæ, ergo nulli fas est, exemplo Petri & Ioannis Apostolorum, sine mandato, ad aliquod templum orationis gratia, sese recipere.* Ad rem.

Liberos immolare nulli concessum est, quia malum est, nisi potestas fiat ab eo, qui vitę necisque supremus Dominus est. Si Deus tibi, ceu Abrahamo, præceperit, vt tuos liberos sacrifices, tum id facias

licet; & aut laqueo, aut vndis Limagi tui eneces; si peculiaris immolandi modus tibi non præscribatur. At verò venerabili Sacramento Eucharistiæ festum diem consecrare, eique hoc modo conuenientem cultum & honorem deferre, adeo non est malum, vt supposito Ecclesiæ præcepto & instituto contrarium facere, sit impium. Quocirca nil opus peculiari præcepto diuino: quemadmodum neque Dauid sua in celebritate nouum & expressum præceptum è cœlo expectauit: quia satis præcepti habet, qui nouit Deum, & dilectum filium Dei Christum, Redemptorem nostrum, colendum & adorandum esse: Et ipsis quoque Angelis hoc præceptum esse datum, vt Christum, etiam qua homo est, adorent; nam, Apostolo teste ad Hebr. cap. 1. *cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Psal. 96.

CAPVT V.

Excutiuntur reliqua discrimina Processionis Dauidicæ & Eucharisticæ ab Hospiniano allata.

I. D*Auid nullum cultum Dei hac sua translatione instituere voluit: quod tamen Pontificij cum in aliis, tum in hoc Festo suo faciunt.* Satisne sanus aut sobrius es Caluinista, qui talia tam præcipitanter ne dicam amenter, effutias? Si Dauid in translatione Arcæ nullam cultus diuini instituendi rationem habuit; cur *constituit coram Arca Domini, qui ministrarent; & recordarentur operum*

rum eius, & glorificarent, atque laudarēt Dominum Deum Israël; Asaph principem, & secundum eius Zachariam? Porro Iahiel & Semiramoth, & Iehiel, & Mathathiam, & Eliab, & Banaiam, & Obed Edom, & Iehiel super organa psalterij & lyras, Asaph autem, vt cymbalis personaret. Banaiam verò & Iaziel sacerdotes canere tuba iugiter coram Arca fœderis Domini. In illo die fecit Dauid principem ad confitendum Domino Asaph & fratres eius. An hæc & his similia quę cap. 16. lib. 1. Paralip. percensentur, à Dauide instituta, ad cultum Dei non spectant? Quorsum igitur pertinent? An Dauid hæc *dicis* duntaxat *caussa* constituit ac decreuit? Imò in hac sanctione Dauidis dilucidè mihi intueri videor typum & formam Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, quæ postea Christianis temporibus passim conditæ, fundatæ & dotatæ sunt; tam municificè & liberaliter, vt quamuis Hæreticæ rapacitati nihil sufficiat; opulentia tamen huiusmodi Ecclesiarum, si vniuersa in prædam simul exponeretur; saltem aliquandiu, satis fore videatur.

Deinde, dic Caluinista, an B. Dauidem nihil meriti agnouisse & spectasse censes, cum illa exprobratrici & conuiciatrici suæ Michol reposuit 2. Reg. 6. *Viuit Dominus, quia ludam ante Dominum, qui elegit me potius, quàm patrem tuum, & quàm omnem domū eius, &c. & vilior fiam plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis.* An Dauidem, cum hæc proferret, non credis in animo habuisse illud, quod postea à Domino prolatum est? *Omnis qui se exaltat, humiliabitur, & omnis, qui se humiliat, exaltabitur:* cuius hæc est sentētia: omnem illum, qui se exaltat, mereri, vt humilietur: & omnem illum, qui se humiliat, mereri, vt exaltetur.

II. *David obeuntibus illas Processiones nullas dedit Indulgentias, vt facit Romanus Pontifex, longè igitur alia ratio est processionum Dauidicarum, & nostræ Eucharisticæ.* Caluinisticum diuerticulum video, nihil aliud. Non agitur de Indulgentiis; sed num Christiana Ecclesia Festum Corporis Christi cum iis, quæ nūc vsurpantur ceremoniis, licitè instituere potuerit; & num sic, vt institutum est, sanctè & piè obiri queat, exemplo Processionum, quas B. Dauid occasione transferendæ Arcæ omnibus indixit. Indulgentiæ, quas Pontifex concedit, accessorium quiddam sunt. Si eas nolis, non cogeris accipere, quia inuito non datur beneficium. Tota ratio Festi & Festiuitatis absque Indulgentiis subsistere valet; nec à Pontifice Vrbano, & aliis alio fine adiunctæ sunt, quàm vt ad Festi huius celebrationem, idque per totam Octauam, Christiani alacriores efficerentur. Etsi autem Caluinista Pontificis Indulgentias aspernatur, neque earum particeps fieri optat; non dubito tamen, quin placeant palato & stomacho eius Indulgentiæ, quas diuisit sua in Processione & Panegyri B. Dauid, 2. Reg. 6. Quæ nam illæ? *Partitus est* (Dauid) *vniuersæ multitudini Israel tam viro, quàm mulieri, singulis collyridam panis vnam, & assaturam bubalæ carnis vnam; & similam frixam oleo.* Hæ Indulgētiæ si in Processionibus Corporis Christi distribuerentur, forsan non pauci de Caluiniano grege tam ineptè superstitiosi non essent, vt Caluinum famelico ventri, & sitienti palato anteferrent.

III. *De Eucharistia Christus nihil aliud mādauit, quàm vt in cœtu sacro panem & vinum comedant & bibant.* Fidem tibi haberem; si Christus dixisset; Accipite, & come-

comedite: *Hoc est panis:* Accipite & bibite: *Hoc est vinum:* sed quia dixit: Accipite & comedite: *Hoc est corpus meum.* Accipite & bibite; *Hic est sanguis meus*; non video cur tibi, nil nisi panem & vinum, ex quotidiana mensæ tuæ assuetudine somnianti assentiar: nam qui nil nisi panem & vinum appetit, is desiderio suo melius in caupona, quàm in Ecclesia satisfacere poterit.

Deinde, etiam Arca fœderis non fuit reperta eo fine, vt ex domo Abinadab, tanta pompa transferretur, & vt in domum Obed Edom, & tandem in ciuitatem Dauid; & ad extremum in Templum Salomonis inferretur; & tamen hæc omnia sanctè & religiosè facta sunt.

Tertio dico; Eucharistiam non tantum esse institutam, vt nobis cibum & potum præbeat, sed insuper ad hoc, vt humano generi passionis & mortis Dominicæ & infinitæ charitatis, qua Christus nos prosequitur; sit perpetuum monumentum: & per consequens, nobis mandatũ est, vt huiusmodi mnemosynon seu *Memoriale* grata mente veneremur, præsertim cum in illo *realiter* & *substantialiter* Christus Dominus contineatur; de quo colendo & adorando tam homines, quàm Angeli præceptum diuinum acceperunt.

IV. *Dauid semel tantum hoc fecit; nec instituit Anniuersarium, in huius rei memoriam Festum; ergo Papistæ non possunt se Dauidis exemplo tueri.* Inanis tergiuersatio. Num si B. Dauid quotannis pompam illam repetiisset, Festum Corporis Christi tibi arrideret? Non magis ac iam, cum B. Dauid, non vna, vt tu inscitè dicis, sed duplici translatione Arcæ contentus fuit.

fuit. Deinde fingamus, semel vel bis solummodo celebratum esse Festum Corporis Christi, instar Processionis Dauidicæ; num tibi idcirco probaretur? Nihil minus. Num sola repetitio annua tibi displicet? Nihil minus. Friuola hæc sunt effugia. Vanæ offuciæ & præstigiæ ludicræ, quibus lectorum oculis fumus offunditur, vt veritatis aspectus eripiatur. Potuisset, si voluisset, B. Dauid annuum Festum Arcæ publicitus circumducendæ instituere, si voluisset; quia quod semel vel iterum in honorem Dei peractum fuerat, cur id repeti, etiam quotannis, illicitum fuisset, cum nulla super hac re interuenerit à Deo prohibitio?

V. *Dauid pedes comitatus est Arcam fœderis. At Papa in hac processione equo vehitur.* Respondeo, mentiri Prædicanté. In hac supplicatione nec Papa equo vehitur, nec Eucharistia; quod hîc iterum mendaciter Caluinista oggerit, non contentus médacio, eadem de re in prima Editione Centonis de Festis effuso: imò Pontifex, si non sit æger à pedibus, æquè ac alij venerabile sacramentum pedes circumfert. Si mihi fidem non habes, non deerunt huius rei oculati testes.

VI. *Arca non est habita pro ipso vero & viuente Deo, vt sacramentum Eucharistiæ hodie à Papistis habetur, nec propterea adorata fuit.* Si ergo Arcæ tanti & tam alioqui inusitati honores decreti & publicè exhibiti sunt à Dauide & toto Israële; quanto iustius Ecclesia Catholica Christo, Deo vero & viuenti, sub Eucharisticis speciebus intimè præsenti, eum cultum defert, qui nouis Capharnaitis, Zvvinglianis, Caluinianis & Lutheranis non modò *cordolium*, sed & acutissima

crux

crux est. Nam quod Caluinicola ait, ipsum sacramentum, totum scilicet & *adaquatum*, haberi à nobis pro Deo vero & viuenti, id cæteris vanissimi Sectarij commentis securus deputa, nam & species externæ, & ipsa forma in verbis consecratoriis posita, ad hoc sacramentum pertinent; neque tamen ab vllo pro vero & viuente Deo habentur.

VII. *Arca veteris Testamenti cum omnibus caremoniis Iudaicis iam abrogata est, nec in Christiana Ecclesia amplius vsurpari debet.* Quò tendis Nouator? Quis Christianorum Arcam illam veteris Testamenti cum ritu, quo transferebatur, instaurat aut vsurpat? Quàm bellus argumentator es. *Arca fœderis cum ritibus iam antiquata est; ergo ab Arca fœderis vel potius à solennitate, qua Arca ista translata est, non licet iam argumentum ducere ad Festum Corporis Christi, & ad caremonias, quibus Festus hic dies peragitur.* Perinde ac si dicas: Vetera sacrificia Mosaicæ Legis iam sublata sunt; ergo Apostolo in Epistola ad Hebræos non licuit à priscis illis sacrificiis argumétari ad sacrificium crucis. Item, Agnus Paschalis, Manna, & his similia iam desierunt; nec fas ergo erit ista pro Eucharistiæ sacramento in subsidium aduocare, tãquam eius typos & symbola. Qua sua Caluiniana bipenni subneruabit, vel potius funditus excidet Hospinianus omnia argumenta, quæ à typis seu figuris, ad ipsam rem figuratam & præmonstratam ducuntur.

VIII. *Translatio Arca erat res politica, vt nimirum Arca poneretur in loco suo: nam Dauid, vt legitur 1. Paralip. 13. de transferenda Arca in domum Obed Edom consilium tantùm iniit cum Tribunis suis, Centurionibus & omnibus Ducibus; Sacerdotes & Leuitæ huic deliberationi non*

interfuisse leguntur. Ergo hoc exemplum ad processionem hanc, de qua agimus, defendendam nihil facit. Hæc Caluinista stultissimè prorsus. Translationem enim hanc non fuisse rem politicam, sed sacram, religiosam, & ad Dei cultum ordinatam, testătur omnes sacrarum literarum apices, qui de hac translatione agunt: nam si res politica erat, quid opus erat Sacerdotibus & Leuitis; quid tot sacrificiis, victimis & hostiis; quid tot Musicorum choris? Quid Sacerdotum & Leuitarum sanctificatione 1. Paralip. 15. cum hoc mandato? Vos, qui estis principes familiarũ Leuiticarum, *sanctificamini cum fratribus vestris, & afferte Arcam Domini Dei Israel ad locum, qui ei præparatus est.*

Adde, quod ipsa Arca res sacra & religiosa fuit, ergo & translatio eius: cur enim Dominus percussit Ozam, ob Arcæ contactum, si Arca res profana erat? An non Arca sacrum symbolum erat fœderis à Deo cum Israëlitis initi? Si Arca non erat res sacra, cur in trãslatione eius tot tauri & arietes oblati sunt? Cur constituti, qui coram Arca Domini *ministrarẽt, & recordarentur operum eius, & glorificarent, atque laudarent Dominum Deum Israël?* Si Arca non erat sacra, cur tot mirissima mira per eam patrata sunt, & maximè in terra Philistinorum?

Si Arca fœderis res politica erat, mirum, quod longæuus ille Heli ad auditam captionem Arcæ de sella, in qua sedebat, corruens, ceruicem fregit: nam cum audisset, fugisse Israëlem, & *ruinam magnam factam in populo*, insuper & duos filios suos in prælio occubuisse; haud multum commotus est: at vbi nuncius Arcam Dei in hostium manus peruenisse exponebat, enimuero, tum *cecidit de sella retrorsum iuxta ostium,*

ostium, & fractis ceruicibus mortuus est. Et nurui, vxori Phinees, nõ tam partus, q̃ de capta Arca nuncius necem attulit; quæ infanti indidit nomen Ichabod, dicens: *Translata est gloria de Israël, quia capta est Arca Dei.* Siccine pro re profana tantum doloris suscipere vel oportebat, vel conueniebat? Quomodo Arca strauit humi Dagonem, Azotiorũ Idolum; nec strauit tantùm, sed etiam capite ac palmis manuum mulctauit & mutilauit; si non erat res sacra & religiosa, sed tantùm politica? Num tu censes Dagoni talem calamitatem obuenturam fuisse, licet in templum illud aliquot corbes panis & aliquot canthari vini de Cœna Zvvingliana seu Caluiniana importati fuissent?

Nec obstat, quòd Dauid cum tribunis & Centurionibus de Arca transferenda consultauit, cui consultationi Sacerdotes & Leuitæ non videntur interfuisse; quia ibidem mox subiungitur: *Et ait* (Dauid) *ad omnem cœtum Israël, si placet vobis, &c. Mittamus ad fratres nostros reliquos in vniuersas regiones Israël, & ad Sacerdotes & Leuitas, qui habitant in suburbanis vrbium, vt congregentur ad nos, &c.*

Deinde, quidquid sit de primo Dauidis concilio & consilio, & de ipsa etiam translatione prima Arcæ, quæ casu, seu potius infortunio quodam, in domum Obed Edom facta est; facienda vtique in ciuitatem Dauid, quæ est Sion; quidquid vitij tum interuenerit; de quo videri possunt sacræ scripturæ Interpretes, nominatim Abulensis in cap. 15. lib. 1. Paralip. attamen in secunda translatione ex domo Obed Edom, Dauid diligentissimè operam dedit, vt sanctificati Sacerdotes & Leuitæ translationi Arcæ adessent, eamque humeris suis, vt Moysi Dominus

præceperat, Num 4. gestarent, non, vt antea factum, plaustro vectarent: *Ne, vt à principio*, inquit B. Dauid, *percussit nos Dominus, sic & nunc fiat, illicitum quid nobis agentibus.* Tantum ergo abest, vt B. Dauid in translatione Arcæ Sacerdotum & Leuitarum ministerio vti noluerit; vt cum in prima vsus fuisset; & tamen nescio quid defectus interuenisset; (siue is defectus in Ozæ immunditia; siue in hoc, quòd Arcam plaustro à bobus ferendam imposuissent, positus fuerit) in secunda translatione accuratissimè de sanctificãdis Sacerdotibus & Leuitis, & omnibus iuxta ritum & præscriptum Legis Mosaicæ agendis præceperit, ne denuo illicitum aliquid committeretur. Ex quibus sanè euidẽter elucescit, tam ipsam Arcam, quàm hanc eius translationem fuisse rem sacram & religiosam, non politicam, vt satis impolitè Caluinista asserit.

Nec verum est, quod Caluinicola dicit; Dauidem lib. 1. Paralip. cap. 13. iniisse consilium de Arca ex Cariath Iarim in domum Obed Edom transportanda: falsum est hoc, nam in eo consilio & concilio de hac domo nulla cogitatio Dauidi in mentem venit: sed totus in eo erat, vt Arca in ciuitatem Dauid, quæ est Sion, transferretur. Postea inopinato Ozæ interitu perculsus, Arcam, præter exspectationem suam, in domum Obed Edom diuertere iussit: *Extimuit enim Dauid Dominum in die illa, dicens, quomodo ingredietur ad me Arca Domini? Et noluit ad se diuertere Arcam Domini in Ciuitatem Dauid: sed diuertit eam in domum Obed Edom Gethæi.* Erat igitur & Arca & ipsa Arcæ translatio res sacra, religiosa, & Ecclesiastica.

Oggan-

Oggannit Caluinista: *Si fuit res Ecclesiastica, hoc Dauidis factum contra Papistas facit, qui putant, politicum Magistratum Ecclesiastica negotia tractare non debere, vt Dauid hoc loco fecit.* Respondeo I. Prædicantem iterum extra lineam saltare: non enim quæritur, quis sit cognitor & Iudex rerum Ecclesiasticarum, sed num Processio corporis Christi cum ritibus suis defendi queat exemplo processionis Dauidicæ in Translatione Arcæ. Secundò, quod Dauid statuit; statutumque efficere cogitauit, id non sine sacerdotibus & Leuitis transactum dare voluit: ideo namque in Concilio ait: *Mittamus ad fratres nostros reliquos, &c. & ad Sacerdotes & Leuitas.* Qui si decreto Regis sese opposuissent; vtique Rex ad translationem ipsam minimè accessisset. Et quam ministerio sacerdotum & Leuitarum Rex indigeret, ipse post exitium Ozæ clarius intellexit; vt docent hæc eius verba. 1. Paralip. 15. *Illicitum est, vt à quocumque portetur Arca Dei, nisi à Leuitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & ad ministrandum sibi vsque in æternum. &c. Vocauitque Dauid Sadoc & Abiathar sacerdotes & Leuitas Vriel, Asaiam, &c & dixit ad eos: Vos, qui estis principes familiarum Leuiticarum, sanctificamini cum fratribus vestris, &c. Et hoc eam ob caussam; ne vt à principio, quia non eratis præsentes, percussit nos Dominus, sic & nunc fiat illicitum quid nobis agentibus.*

Præterea, Catholici non abnuunt, posse Reges ac principes dispicere, quid nam ad religionis conseruationem vel amplificationem, vel ad populi deuotionem excitandam; vel ad impendentes calamitates auertendas conducat: sunt enim rectæ fidei & veræ pietatis custodes ac vindices: Possunt ergo,

 quid

quid sibi faciendum videatur, tam Ecclesiasticis, quàm alijs exponere & proponere; & ipsam quoque operis executionem, cum assensu & approbatione Magistratus Ecclesiastici indicere ac vrgere; prout etiam hac ipsa in re factum est à B. Dauide; qui cum translationem Arcæ in Sion, ad diuinæ gloriæ incrementum cessuram arbitraretur; translationem faciendam decreuit; Decretum tamen ad sacerdotes & Leuitas retulit; neque sine illis quidquam aggredi ausus est: Præsertim in secunda translatione: tametsi primæ itidem Leuitæ interfuerint; nam Oza & frater eius Ahio, Leuitæ erant: sed familiarũ Leuiticarum principes abfuisse; ideoque non omnia ex præscripto Legis tunc acta esse; & propterea Ozam perijsse, satis apertè indicant B. Dauidis verba lib. 1. Paralip. cap. 16.

CAPVT VI.

Vtrum Processio corporis Christi sit similis illi; quæ describitur lib. 1. Reg. cap. 4.

Affirmat Caluinista his verbis. *Festum corporis Christi potius similitudinem habet cum Arca Domini, vt ab Israelitis tempore Heli in pugnam contra Philistinos deportata est.* Qua de caussa? Cedo, ô Caluinicola. I. *Quia Israelitæ fecerunt hoc sine mandato Dei.* II. *Ex cacozelia studioque peruerso imitandi morem patrum suorum, qui ex mandato Dei Arcam in deserto, & circum muros Hiericho circumtulerant. Sic & Papistæ absque mandato Dei, & ex peruersa imitatione veteris illius Arcæ; Sacramentum circumgestant. Quapropter quemmodum*

admodum illi Deum non placauerunt; sed potius ad vehementiorem iram adductione Arcæ irritauerunt; ita hac etiam ætate fit cum circumgestatione Eucharistica.

Verumenimuero Caluinista hic multa, tanquam concessa sumit, quæ probatione, & quidem admodum firma & valida, egent: Negamus enim, Hebræos illos, qui Arcam in Castra adducendam curarunt, ideò peccasse, quòd hoc absque expresso mandato Dei fecerint. Nihil penitus de hoc scriptura. Negamus id ab illis factum, ex *Cacozelia* vel improbo imitandi desiderio circumlationem Arcæ in deserto, & ad mœnia Hiericho: imò palam asserimus, cogitationem de Arca aduersus Philistæos in castra aduocanda, ipsamque adeo aduocationem, fuisse sanctam, salutarem & laudabilem; Arcæ enim præsentiam valuisse aduersus hostiles impetus probatur. I. ex illa ad precatione Moysis, qua vtebatur, quando Arca eleuabatur, vt cap. 10. lib. Numer. proditum est: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua.*

II. Arcæ præsentia ijs, qui Dominum colebant benedictionem conciliabat. Testatur id scriptura 2. Reg. 6. & 1. Paralip. 15. nam propter præsentiam Arcæ *benedixit Dominus Obed Edom, & omnem domum eius*: ita vt Dauid sancta quadam æmulatione incitatus; de Arca quamprimum ad se transferenda consilium ceperit. *Nuntiatum est Regi Dauid, quod benedixisset Dominus Obed Edom, & omnia eius, propter Arcam Dei: dixitque Dauid; ibo & reducam Arcam cum benedictione in domum meam.* An non igitur Arca ista benedictionem castris adferre poterat, cu-

ius vis tanta erat, vt benedictione totam domum Obed Edom, & omnes facultates eius repleret?

III. Cum Dauid Absalonem fugeret 2. Reg. 15. Sacerdotes & Leuitæ, qui Dauidi adhærebant, minimè obliti sunt Arcæ, sed eam secũ deduxerunt. Cur, si non Præsidij gratia? Neque enim periculum erat, vt si Herosolymis relinqueretur, Absalon inuasor aliquid contumeliæ ei irrogaret. Quanquam Dauid Arcam, modestiæ caussa, iussit in vrbem reportari. Dixit enim ad Sadoc: *Reportate Arcam Dei in vrbem: Si inuenero gratiam in oculis Domini, reducet me, & ostendet mihi eam, & tabernaculum suum.*

IV. Idem euidenter demonstratur ex bello, quod Dauid gessit contra filios Ammon, in obsidione ciuitatis Rabba. 2. Reg. 11. nam Arca Dei tunc in castris erat: planum hoc fit ex verbis Vriæ Hethæi, qui cum ex castris ad Dauidem venisset, iuberetúrque, vt in domum suam se, quietis caussa, conferret; id facere, constanter recusauit; addens: *Arca Dei, & Israel, & Iuda habitant in papilionibus, & Dominus meus Ioab, & serui Domini mei super faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, vt comedam & bibam, & dormiam cum vxore mea? Per salutem tuam, & per salutem animæ tuæ, non faciam rem hanc.* Erat ergo Arca in illis castris. Cur, nisi opis gratia?

V. Idem liquet ex 1. Reg. cap. 14. vbi Saul Rex Arcam secum in castris habebat: Cur nisi tutelæ & benedictionis gratia? Nec vana spes fuit, vt testatur insignis illa victoria, quam tunc Israëlitæ à Philistæis reportarunt.

VI. Quod Israëlitæ fecerunt 1. Regum 4. id ex communi consuetudine fecisse videntur; nam si

Arcam

Arcam in castra educere penitus inusitatum fuisset; Heli sacerdos minimè permisisset, vt in castra deportaretur: sed potius totis viribus obstitisset. At nihil horum factum est. Imò cum ipsimet Hebræi inter se caussas cladis acceptæ disquirerent, videntur damnum sibi illatum in absentiam Arcæ retulisse. *Dixerunt* enim *maiores natu de Israel: Quare percussit nos Dominus hodie coram Phil[illegible]hijm? Afferamus ad nos de Silo Arcam fœderis Domini, & veniat in medium nostri, vt saluet nos de manu inimicorum nostrorum.* Quam persuasionem de auxilio Arcæ contra hostes, ab antiquo iam imbibisse debuerunt; nam si nulla huius generis de Arca existimatio præcessisset; haud in repentino illo casu de Arca adducenda cogitationem suscipere potuissent. Quod etiam planum fit ex cap. 4. libri Numerorum vbi dicitur, Israelitis contra Amalecitas egressis, Arcam Dei mansisse in castris, hoc est, non eductam fuisse, vt pugnaturis subsidio esset, quandoquidem inuito Deo & Moyse in prælium exierant, & ideò etiam corruerant.

VII. Idem probat terror, quem aduentu suo Arca Philistæis incussit: *Timuerunt Philisthijm*, inquit scriptura: *dicentes: venit Deus in castra. Et ingemuerunt, dicentes: væ nobis; non enim fuit tanta exultatio heri & nudiustertius. Væ nobis, quis nos seruabit de manu Deorum sublimium istorum?* Hæc & his similia, satis perspicuè ostendunt Arcam Domini militantibus pro scuto, clypeo, & gladio fuisse.

At occinit prædicans: *Hebræos hoc fecisse sine mandato Dei.* Esto. Num ideò peccarunt? Quod Dei præceptum secutus B. Dauid saltauit coram Arca accinctus Ephod lineo? Quod mandatum Dei ha-

buit Ioab & exercitus, vt secum haberent Arcam Dei in expeditione, contra Ammonitas? Quo mandato Dei delata est Arca à sacerdotibus & Leuitis ad comitatũ Dauidis, cũ Absalonem fugeret? Oggeres; *Hebræi puniti sunt à Deo ob adductam Arcam.* Falsissimũ hoc esse aio; quia quæ caussa huius cladis fuerit; euidenter ex cap. 2. & 3. discimus: vbi totum hoc infortunium trucidati Hebraici populi, & captæ Arcæ adscribitur, grauissimis sceleribus & sacrilegijs, quæ filij Heli, dissimulante patre, perpetrabant: quæ etiam capite secundo speciatim enumerantur.

CAPVT VII.

Num festum corporis Christi sit simile Festo vituli aurei Exodi 32.

DAuidicis Processionibus adiunxeram illam Salomonis, quando Arca fœderis ex ciuitate Dauid, in templum solennibus cæremonijs translata est. Negat Prædicans, *esse aliquam inter illam & nostras processiones similitudinem.* At ego nihil aliud postulo, quàm vt lector legat cap. 5. lib. 2. Paralip. Et quæ ibi recensentur, accuratè perpendat, omnibusque expensis, oculos ad processionem corporis Christi conuertat, & conuertendo dispiciat, an in ea nullũ vestigium similitudinis cuiuspiam reluceat. Quanquam cardo rei non vertitur in similitudine; sed in hoc; An Christianis ius fasq; sit in honorem venerabilis sacramenti, etiã absq; expresso mandato Dei, solennitatem aliquam festiuo ritu & modo instituere & indicere, prout factum

ctum in translatione Arcæ à Salomone, & prius à B. Dauide.

Mentitur Caluinista, *me rectius facturum fuisse, si exemplum illud Exodi 32. de Festo vituli ab Israëlitis conflati adduxissem: quippe quod huic Festo sacramenti quoad omnes sui caussas & circumstantias, simillimum sit.* Sed calumniatur Prædicans. Nam inprimis solenne illud suum extorserunt Israelitæ ab inuito Aarone. Num ab inuito Pontifice Vrbano festum corporis Christi per vim extortum est? II. Dies ille sacer erat vitulo. Num tu tam blasphemus eris, vt idem de nostro Festo affirmes? Scio, quã soluta sit lingua Caluinistis cum de hoc festo mentio incidit. Sunt tamen, quibus necdum omnis verecundia ex mente & fronte expuncta est. III. Vbi processio in illa idololatriæ plena Panegyri? Nisi fortè processionem tibi indicant illa: *Surgentesq; manè obtulerunt holocausta & hostias pacificas, & sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere.* Fitne hoc in Festo corporis Christi? IV. Adeò inconditus fuit idololatricæ huius turbæ clamor; vt Iosue, Mosis minister, vlulatum pugnæ in castris sibi audire videretur: quia ex ebrietate, & quę hanc comitatur, inepta lætitia, in vociferationes resoluebantur. Num huiusmodi vlulatum aliquando in hac nostra solennitate resonare audiuisti?

V. Judæi in hoc suo sacrilego Festo *obliti sunt Deum, qui saluauit eos, qui fecit magnalia in Aegypto, mirabilia in terra Cham; terribilia in mari rubro, vt canit* B. Dauid Psal. 105. An nos in nostro Festo obliuioni tradimus Saluatorem nostrum Christum Dominum? Nam quod tu cum Caluino tuo dicis: *Israelitas in vitulo illo coluisse verum Deum;* id merum figmen-

tum est, citato Psalmistæ loco directè aduersans, vt & huic Moysis Deut. 32. *Oblitus es Domini creatoris tui.* Et, *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus.* Et, *Irritauerunt eum in dijs alienis. Immolauerunt Dæmonijs, & non Deo, dijs, quos ignorabant; noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum. Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.* Quæ omnia apertissimè ostendunt, Hebræos vitulum illum pro suo Deo habuisse, neque in eius cultu verum Deum aut coluisse, aut colere voluisse: licet non desint, etiam ex Catholicis scriptoribus, qui arbitrentur, existimasse Iudæos se verum Deum colere in Idolis anonymis hoc est, certo nomine carentibus, cuiusmodi fuit idolum Michæ Iud. 17. Et fortè etiam vitulus aureus; reuera tamen, illos verum Deum non coluisse, sed figmenta capitis sui. De qua opinione plura Bellarminus libr. 2. de Sanctis cap. 13. qui eam non improbabilem iudicat.

Nec sincerè, sed fraudulenter & impostoriè agit Caluinista, cum ita de Bellarmino scriptitat. *Vnde Bellarminus quoque fatetur, non improbabiliter dici, Iudæos vitulum aureum pro imagine veri Dei habuisse, idque etiam Abulensis, Caietani & aliorum auctoritate in cap. 17. Iudicum confirmat. Et ibidem mater Micha dixit*: Sanctificaui & voui Iehouæ mille & centum argenteos, vt faciam sculptile atque conflatile. *Et Micha, se conducto Leuita, Iehouam in eo colere ostendit.* Hæc Caluinista, prorsus veteratoriè. Nam Bellarminus dicit: *Forte vitulum aureum fuisse idolum anonymum.* II. Putasse quidem Iudæos per huiusmodi simulacra nominis expertia, se colere verum Deum; reuera tamen non coluisse, nisi cerebri sui inania Phantasmata;

ta: neque cultum illum, per Idololatricam effigiem, Deo, sed figmento cordis delatum fuisse. III. Hanc Caietani & aliorum sententiam non probat absolutè Bellarminus; sed habet pro *non improbabili.* Simpliciter longè verius est Iudæos, siue in Idolis nominatis, siue in innominatis, nihil aliud veneratos esse, quàm ipsa Idola; seu Dæmonia; quia non modò Dij gentium, sed etiam tales Dij Iudæorum, sunt & fuerunt Dæmonia. Nec obstat, quòd scriptura de his idolis loquēs, vtitur interdum vocabulo *Iehoua:* quia scriptura indicat, quid Idololatræ illi fecerint; nam eò impietatis processerant, vt etiam *incommunicabile nomen lapidibus & lignis imponerent*, vt dicitur Sapientiæ 14.

CAPVT VIII.

Vtrum Catholici cæremonias & ritus huius Festi ab Ethnicis acceperint.

AFfirmat Caluinista. Cuius affirmationis impudentiam copiosè redargui lib. 1. de Processionibus cap. 19. Caluinista responsiones meas plerasq; dissimulat; nec tam sollicitus est, vt solide se & sua tueatur, quàm vt nouas technas & strophas obruendæ veritati, & stabiliendæ falsitati excogitet. Verbosè recitat ex Mercurio Gallo-Belgico processionem Vallisoleti in Hispania olim habitam in Festo Corporis Christi. Finita recitatione, exclamare incipit: *Haccine ex Verbo Dei probari possunt? Ostendat Monachus simile quid vel in nouo Testamento vel in tota antiquitate.*

F 3 Audi

Audi Caluinicola. Processio illa Hispaniensis, & quæcunq; alia, quæ in solennitate Corporis Christi instituitur, defendi, & ex verbo Dei probari potest: quia verbum Dei præcipit, vt Christum, Dominum & Redemptorem nostrum colamus, veneremur, & adoremus. At omnes istæ processiones, vbicunque obeantur, nihil aliud sunt, quàm cultus, veneratio & adoratio Christi Domini: & quem cultũ bonum ac legitimum esse demonstrare licet, ex cultu, quem Dauid & Salomon in Translatione Arcæ, Deo exhibuerunt; & ex illo, qui Christo Hierosolymam intranti à turbis præeuntibus & subsequentibus est habitus: nam modus, forma & ratio tota nostrarum processionum, maximam prorsus cum illis Processionibus similitudinem habet; vt fatebitur, quisquis processiones nostras cum priscis illis componere voluerit.

Porrò, cùm fusè ostendissem, Christianos ritus Festi huius nõ esse ab Ethnicis desumptos, eo saltem sensu, quem isti imperitorum animis instillare conantur; omnes suas copias eò dirigit Caluinista, vt assertum suum confirmet.

In prima acie collocat auctoritatẽ Polydori Virgilij, qui lib. 6. cap. 11. de rerum Inuent. ritus processionum & supplicationũ ab Ethnicis ad nos manasse scribit: & ne sine teste hoc asseueret, *in probationis firmamentum Asinum Apuleianum adsciscit*. Sed dabit nobis Caluinista veniam, si à Polydoro dissentiamus, credamusque, quod alibi sæpius & copiosius ostensum est, Diabolũ futuri satis sagacem coniectorem, potius processionum ritus in suis & suorum Orgiis æmulatum & imitatum esse, vt postea Calumniatores

res Hæretici occasionem haberent, dictitandi, Orthodoxos Christianos cæremonias suas ab Ethnicis accepisse. Deinde, q̃ ore Polydorus hoc dixit; & quo calamo scripsit, *Christianos suas in supplicationibus cæremonias ab Ethnicis accepisse*; eodem dicere & scribere poterat, Dauidem in gemina sua processione, & Salomonem in alia; & illos, qui Christum Hierosolymam ingredientem, in processionis formam compositi, cantantes & ouantes, ramosque palmarum manibus ferentes, comitati sunt; ab Ethnicis edoctos hæc talia fecisse; & cum alia infidelium Festa, tum præcipuè *Lampadophoria, Oschophoria, & Thalysia* æmulatos esse: cui rei, vt maiorem fidem faciat, non obstabimus, quo minus Polydorus, & cum illo Hospinianus, Apuleij *Asinum* in subsidium aduocent.

Secundò, producit Caluinista S. Gregorium Magnum q. lib. 9. cap. 71. (sic citat Caluinicola) *non solùm concessit, sed præcepit etiam; nempe Paganorum Festa sensim in Christiana Festa commutanda esse, & quædam ad similitudinem esse facienda.* Mox nobis denarrat, quid Rhenanus in Libellum Tertulliani de Corona militis super hac re sentiat. Respondeo, nos Rhenano paulò plus tribuere, quàm tibi. Scimus, quo animo & affectu in Catholicos ritus fuerit. Ad rem quod attinet, non imus inficias, Christianæ plebis Antistites, in locum & vicem quorundam gentilium festorum, consuetudinum & cæremoniarum substituisse solennitates, consuetudines & cæremonias Christianas; hoc enim cum alibi, tum in Opere de Festis perspicuè ostendi; & liquet insuper ex adducto sancti Gregorij testimonio. Hoc constanter negamus, commutationem istam in hunc solummodo modũ factam

factam esse; *vt nomen tantum mutaretur, eadem autem superstitiones, ritus & caremonia impia retinerentur*, prout blasphemè Hospinianus mentitur: quam suam pseudologiam Quintuplici alia fulcit, dum addit; *hoc ipsum ingenuè fateri Durandum in Rationali, Belethũ, Bernardinum de Busto, Eckium, Mefreth*. Nullus horum istud asserit; imò nullus Catholicus vnquam vel in mentem suam hoc admisit, videlicet, *Festum Purificationis B. Virginis nomine tantum differre à Festo, quod eodem die olim ab Ethnicis in honorem Cereris, Proserpinam filiam suam cum facibus quaerentis, celebrabatur, & caeremonias, quibus Catholici hoc die vtuntur, esse easdem, quibus verae religionis ignari in illo Cereris Festo vtebantur*. Absit haec blasphemia à quocunque Catholico pectore; Nam ipsum Cereris Festum funditus, & quoad rem, & quoad nomen, & quoad omnes caeremonias Ethnicas sublatum est; eiusque in locum & stationem subiit Festum Christianum, sanctum, pium, additis Christianis, sanctis, piis ritibus, quibus cum Ethnicismo nihil commune.

Quanquam nõ diffitemur, quosdam interdum ritus, qui naturâ sua peruersi & superstitiosi non erant; & à malo vtentium fine abstracti ad bonum transferri poterant, fuisse aliquando reseruatos; eò quod medij & indifferentes essent; quemadmodum saepe ipsa etiam Idololatrica fana non euertebãtur, sed inanibus simulacris & Daemonibus adempta, Deo & sanctis eius dedicabãtur, prout S. Gregorius quoque iussit in Anglia fieri lib. 9. epist. 71. ad Mellitum Abbatem. *Fana idolorum destrui in eadem gente minimè debent, sed ipsa, quae in eis sunt, idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construan-*

struantur, reliquiæ ponantur; quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est, ut à cultu Dæmonum, in obsequium veri Dei debeant commutari, vt dum gens ipsa eadem fana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca, quæ consueuit, familiarius concurrat. Hæc S. Gregorius, cuius consilium Lutheristæ & Caluinistæ haud grauatè amplectuntur, licet enim infinita Catholicorum templa (quæ ipsi pro Idololatricis reputant) euerterint, plurima tamen retinuerunt, & in suos hæreticos vsus conuerterunt, rati se nimis fore scrupulosos, si suæ sectæ noua delubra vbique condere vellent.

Declarat porrò ibidem S. Gregorius alio exemplo, quomodo res alioqui mediæ & adiaphoræ à sacrilegio abductæ, in religiosum morem mutari queant: subdit enim. *Et quia boues solent in sacrificio Dæmonum multos occidere, debet hic etiam hac de re aliqua solennitas immutari; vt die Dedicationis vel Natalitio sanctorũ Martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuiis solennitatem celebrent; nec Diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant.* Itaque boum mactationes & conuiuia, quæ antea erant impia & Idololatrica, ad hunc à S. Gregorio præscriptum finem conuersa & instituta, iam pia & religiosa fiebant: quod mox idem sanctissimus Pontifex alio exemplo illustrat, ita scribens: *Sic Israëlitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit* (hoc est, notum fecit) *sed tamẽ eis sacrificiorum vsus, quos Diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in sacrificio suo animalia im-*

molare præciperet; quatenus cor mutantes aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, vt et si ipsa essent animalia, quæ offerre consueuerant, veruntamen Deo hæc, & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc pulchrè & verè sanctus Gregorius: quorum diligens inspectio & consideratio omnes à Cacis Hæreticis sparsas nebulas facilè dispellet: præsertim crassam istam; *nomina Festorum Ethnicorum duntaxat mutata; rem & ceremonias impias ac idololatricas retentas esse.*

Dixeram: non esse probam hanc consecutionem. *Ethnici hoc vel illud fecerunt, ergo malum est & improbandum.* Occurrit Caluinista. Nos non ideo Ethnicorum facta improbamus, *quòd ab Ethnicis simpliciter & per se proficiscantur, sed quod ab Ethnicis superstitiosis, idololatris, & infidelibus fiant.* Necesse est ergo, vt Prædicans improbet cibum, potum, somnum, matrimonium, quia his omnibus Ethnici superstitiosi, idololatræ & infideles olim vsi sunt, hodieque vtuntur, vbi Idololatria needum penitus exstincta est.

Adiungit Prædicans. Nostra mens est ista: *Hoc est Ethnicum, vel superstitiosum, & idololatricum; ergo malum & fugiendum.* Verba tua, quibus antea non semel vsus fueras, hunc sensum nequaquam præ se ferunt, sed illum, quem refutaui; nempe; hoc vel illud fecerũt Ethnici; ergo repudiandum est. Nunc, voce mutata, aliter canis. *Istud est Ethnicum,* hoc est, *superstitiosum seu Idololatricum, ergo respuendum:* Fatemur, respuendum esse, quà superstitiosum & idololatricum; sed addimus; illud ipsum, q, in indiuiduo est idololatricũ & superstitiosum, prout fit ab isto, vel isto, hoc vel illo tempore, in huius vel illius honorem; aliquãdo ita institui posse, vt mutatis circumstantiis, non sit

fit superstitiosum & Idololatricũ; Exemplis rem clariorem efficiam. Sacrificare Ioui, Neptuno, Plutoni, Apollini, olim actus superstitiosus & Idololatricus erat: At sacrificare vero Deo, qui fecit cælum & terram, prout fiebat in populo Dei, actus sanctissimus & Deo gratissimus erat. idem dico, de celebratione Festorum. Celebrare Festum in honorem Iouis, Martis, Dianæ, idololatria erat: celebrare Sabbatum in honorem Dei; & nunc etiam ad eundem finẽ die Dominica ab operibus seruilibus abstinere; pium prorsus & laudabile opus est. Eadem est similium ratio. Quæ Nouatores, odio veræ religionis cæci, non perpendẽtes, instar brutorum, rationis expertium, in Catholicos irruunt; & ita fatuantur, quasi necesse sit, vt secundum suam speciem, malum & improbãdum sit omne illud, quod ab Ethnicis olim in indiuiduo malè & sacrilegè actum est. Qua amentia posita, vix quidquam in religione, vel etiam in rebus ciuilibus, saluum ac incolume persistet.

Vociferatur Prædicans: *cultum externum Dei, instituendum esse conformiter verbo diuino.* Quis nescit? omnis cultus diuinus ita conformari debet, vt à verbo Dei non discordet At necdum ostẽdisti, cultum externum Ecclesiæ Catholicæ vsitatum, verbo Dei aduersari. Tu dicis aduersari; At non probas: Tantùm clamitas. Nec vt verbo Dei consonet, necesse est, vt à verbo Dei præcipiatur; alioqui cultus, quem B. Dauid Deo in Translatione Arcæ detulit, verbo Dei consonus non fuisset; quia in nullo scripturæ libro legerat Dauid, vt Arcam iis cæremoniis transferret, quibus eam bis transtulit: idemque de Salomone intellectum volo.

Oggerit Prædicans. Tertullianum in Apologetico noluisse, *vt Christiani sui temporis, festos dies, Ethnicorum more, ritibus & cæremoniis superstitiosis celebrarẽt.* Idem nobis hodie est animus; idem sensus, ô Caluini de grege præco. Nullos Ethnicorum festos dies celebramus. Nullos ritus superstitiosos adhibemus. At tu aliter iudicas. Quid nobis cum obstipo tuo iudicio? Vnde etiam processit hæc deliratio. *Fugere nũc & odisse debemus Festa Iudaica, quæ tamen Deo aliquando fuerunt grata: Ergo multo magis nunc fugere debemus Festa Ethnica, quæ Deo nunquam fuere grata.* Quò abriperis, Caluinista? Quis ex Catholicis festa vel Iudaica vel Ethnica celebranda esse dicit? At tu festa nostra pro Iudaicis vel Ethnicis habes. Id verò susque deq; habemus; quia nec tantus es, nec tanti, vt tuum iudicium Festa nostra verè Christiana in Iudaica vel Ethnica transformare queat. Quapropter frustra obtrudis Canonem Concilij Turonensis, qui iubet, *vt ij ab Ecclesia repellantur, nec participare sancto Altari permittãtur, qui gentilium obseruationes custodiunt.* Quid hoc interdictum ad nos? Quid insuper ad nos illa tua deliria? *Deus in veteri Testamento prohibuit Iudæis, ne imitarentur ritus Gentilium; ergo eosdem imitari iam quoque nefas erit.* Quis dubitat, si loquamur de ritibus gentilium, quâ Ethnici, idololatrici & superstitiosi sunt? Æquè iam ac olim fugiendi sunt. Neque iis se contaminat Christi sponsa Ecclesia: & verba illa tua (si tamen verba, & non potius insani pectoris retrimenta) *Papistæ cæremonias & ritus superstitiosos & idololatricos ab Ethnicis mutuati sunt:* nil aliud sunt, quàm mendacia: vt & hæc sequentia: *Papistas, hos Ethnicos & idololatricos ritus transferre & conuertere non ad solius*

Dei

Dei honorem, sed ad cultum superstitiosum & idololatricum, nempe ad inuocationem & religiosum cultum sanctorum mortuorum. Triuialia hæc sunt ψεύσματα. Millies decantata nunquam probata; quibus accense etiam illa: *Nos omnem cultũ in Festo corporis Christi exhibere pani. In Monstrantia nil nisi panem esse. Nos eodem sensu dicere: hoc vel illud esse templum B. Virginis, S. Petri, S. Stephani, quo olim Ethnici dicebant: hoc vel illud esse templum Iouis, Martis, Mercurij:* Quæ omnium scurrarum & sannionum Hæreticorum ore & calamo iam pridem trita & peruulgata sunt: Nam Ecclesiæ, quæ consecrantur cœlitibus, non consecrantur illis vt Dijs, sed vt Dei amicis.

De votis, quæ Caluinista garrit, friuola sunt, & tali deliratore digna. Potuisset, si discere, nõ calumniari lubuisset, ex Bellarmino, quem citat, discere, aliter vota fieri Deo; aliter sanctis; & solum votum Deo factum, actum & cultum latriæ censeri debere, non autem votum factum Sancto; multoque minus homini viuo, vt Prælato: vt taceam alia responsa, quæ ad difficultates circa hæc vota Bellarminus ex S. Thoma & Caietano adducit. Itaque Moniales nostræ ingenti discrimine secernuntur à priscis illis Vestalibus; quia istæ suam virginitatem vouebant idolis: nostræ, vero Deo: interdum & B. virgini; vel alteri Diuo; sed hic vouendi actus specie à priore illo differt, quia ad Duliam seu Hyperduliam pertinet.

Quærit Caluinista, vndenam cæremonias & ritus nostros in Festo corporis Christi vsurpari solitos habeamus. *Certè,* inquit, *vel ex verbo Dei, vel ex Iudaismo, vel ex Ethnicismo, vel ex vestro cerebro.* Respondeo, nos ritus & cæremonias istas accepisse ab

illa, quæ est *columna & firmamentum veritatis*, nempe à Catholica Ecclesia; quam Spiritus sanctus inducit in omnē veritatem, neq; à verbo Dei seu scripto, seu tradito, eam abduci sinit; nam quod præterea Hospinianus adiungit, *Iudaos caremonias suas à Deo accepisse, hoc est, à singulari & expresso mandato Dei*; quæro, vbinā Deus singulariter & expressè præceperit Dauidi & Salomoni, vt in Translatione Arcæ eas cæremonias adhiberent, quas eos adhibuisse diuina scriptura prodidit? Quæso, monstra tandem locum, toties iam desideratum.

Cauinicola in Centone suo de Festis impudenter hæc verba effutiuerat *Nihil hic*, (in Cereris Pompa & amburbalibus, ambarualibusq; sacris) *obseruatum ab Ethnicis legimus, in huius Dea sacris ac Pompa, quod à Papistis non sit ad vnguem expressum, in hac, qua de nunc agimus pompa*, hoc est, in Festo corporis Christi. Quæ cum apertissimæ vanitatis redarguissem, & conuicissem; miserabile nunc effugium quæritat, nimirum, *se non absolutè & simpliciter, sed secundum quid locutum esse*. Videat & iudicet lector an non, dum prius mendacium Caluinista excusare nititur, nouo sese obstringat? An non absolutè & simpliciter loquitur, qui dicit; *Nihil in Cereris sacris obseruatum ab Ethnicis, quod à Papistis in Festo corporis Christi ad vnguem non sit expressum*. An non denuo, haud *secundum quid*, sed *absolutè & simpliciter* mentitur; qui verba illa non *absolutè & simpliciter*, sed tantum *secundum quid* pronunciata fuisse dicit? Nec iuuat te, quod ex Rufino (tu Cyprianum nominas) in explicatione symboli adfers; *Exempla non in omnibus, his, quorum exempla sunt, esse similia*: nam tu prædicta verba non protulisti *similitu-*

similitudinariè, vt ita loquar, sed absolutè. Si ego describerem coruũ, & postea subijcerẽ: nihil in coruo obseruari posse, quod ad amussim non sit expressum in ansere vel anate: an non mentirer? An per rimulam allatæ similitudinis elabi possem? nullo modo. Simile præsidium, inane videlicet & ficulnum, petis à vocula *Nihil*, quam dicis, *non semper vniuersim capi*; item ab illa: *ad vnguem*; nam nec huius sensum *semper esse vniuersalem*. Frustrà te torques, ô Caluinista. Verba tua & mens tua, nimis sunt perspicua: Frustra fucum allinis. Est quidem quisque Interpres verborum suorum: sed num semper candidus & verax? Num vis, vt contra experientiam mihi persuadeam, vafram vulpem verba sua sincerè interpretari posse?

Fertur aliquando Eucharistia circũ agros & segetes, tutelæ & præsidij caussà. *Dic obsecro Monache*, inquit Caluiniscqua, *quosnam in his processionibus imitemini*? Num fidem habebis, si Monachus id te doceat? Fac ergo te auritum, & vaciuam mentem adfer. Nos hoc in more imitamur omnes illos Christianos, qui firma fide credunt, Christum Dominum, siue extra, siue intra sacramentum, credentibus in se, posse esse præsidio, subsidio, & adiumento, tum vt bona diuinitus concedantur, tum vt noxia auertantur & propulsentur non tantum ab animabus & corporibus, sed etiam à rebus externis, quibus ad vitæ sustentationem egemus.

Præcedebat olim Arca Dei tutelæ caussa, castra Israelitarum: qua ad iter eleuata, clamabat Moyses, vt capite 10. Numerorum scriptum est: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderũt*

te,

te, à facie tua. Eadem Arca hæc debellandis hostibus Hierichuntinis septies circum muros gestata est. Eandem in castris secum habuit Ioab contra filios Ammon dimicans. Eandem suam in ciuitatem transtulit Dauid; cur, nisi benedictionis gratia? Eadem Arca benedictione compleuit domum Obed Edom, & omnes facultates eius, qua cœlestis gratiæ vbertate permotus Dauid, properauit, vt Arcam quàm primum in Sion transportaret. Si ex circumlatione & præsentia Arcæ legalis, in qua erat Manna, typus sacratissimæ Eucharistiæ, tantum vtilitatis nō tantùm ad ipsos homines, sed etiam ad res & facultates hominum redundabat; quis tam stupidus erit, præter stupidos Berengarianos, qui non intelligat, longè plus commodi exspectandum esse ex præsentia & circumgestatione eius Arcæ, in qua Christus, verè, realiter & substantialiter præsens est?

Corruerunt muri Hierichuntini ob circumlationem Arcæ; & quando Israelitis iter facientibus, præportabatur; dissipabantur hostes & fugiebant, qui oderant Dominum, à facie Arcæ. Et nos ambigemus, num gestato circum segetes venerabili sacramento aëriæ potestates; frugibus terræ insidiantes, loco cessuræ sint, præsentia Christi fugatæ, ne ex odio erga mortales, spem anni maleficijs suis intercipiant. Arca Dei benedictionem peperit domui Obed Edom, & omnibus possessionibus eius: Et Christus in Sacramento, agris, qui sunt quasi hominum nutritores, benedictionem importare non poterit?

In libro Numerorum capite 6. isthæc legimus. ***Locutusque est Dominus ad Moysen dicens; loquere Aaron &***

& filijs eius: sic benedicetis filijs Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te: ostendat Dominus faciem suam tibi, & miseratur tui. Conuertat Dominus vultum suum ad te; & misereatur tui. Inuocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis. Scilicet ad hæc verba ab Aarone & filijs eius pro populo pronuntiata, benedictionem dedit Deus; & nos benedictionis expertes esse finet; quando ipse vnigenitus filius adest, proque nobis vel tacitè, vel etiam expresse Patri, eadem vel simili forma, tanquam summus Sacerdos supplicans ait: *Benedicat tibi Dominus & custodiat te, &c.* vel, vt olim Isaac filio suo. Genesis 27. *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti & vini.*

Satyro D. Ambrosij fratri, Eucharistia Orario inclusa, in extremo vitæ discrimine, Præsidio & saluti fuit: qui, vt ait S. Ambrosius in Oratione, qua fratri suo parentauit: *priusquam perfectioribus esset initiatus mysterijs, in naufragio constitutus, cum ea, qua veheretur nauis, scopuloso illisa vado, & vrgentibus hinc atque inde fluctibus, solueretur, non mortem metuens, sed ne vacuus mysterij exiret è vita, quos initiatos esse cognouerat, ab his diuinum illud fidelium sacramentum poposcit, non vt curiosos oculos insereret, arcanis sed vt fidei suæ consequeretur auxilium. Etenim ligari fecit in Orario, & Orarium innoluit in collo; atque ita se deiecit in mare, non requirens de nauis compage resolutam tabulam, cui supernatans, iuuaretur, quoniam fidei solius arma quæsierat. Itaque his se tectum atque munitum satis credens, alia auxilia non desiderauit. Simul fortitudinem eius spectare licet, qui fatiscente remigio non quasi naufragus tabulam sumpserit, sed quasi fortis ex seipso adminiculum suæ vir-*

tutis assumpserit. Nec deseruit spes, nec fefellit opinio. Denique primus seruatus ex vndis, & in portum terrenæ stationis euectus, præsulem suum, cui se crediderat, recognouit, statimque, &c. Dei Ecclesiam requisiuit, vt ageret gratias liberatus, & mysteria æterna cognosceret, pronuncians nullum referendæ gratiæ maius esse officium. Hæc S. Ambrosius.

Ex cuius relatione liquet, hunc fuisse Christianis iam baptismate tinctis morem, vt aduersus naufragij pericula Euchariſtiam secum deferrent: nam Satyrus nauim ingressus, non tulerat secum hoc sacramentum: sed in discrimen vitæ cum alijs adductus, petijt illud ab ijs, qui iam baptismum susceperant; nec frustra petijt, vt ex S. Ambrosio audiuimus. Si ergo Eucharistia naufragantibus saluti fuit, inprimis Satyro; cur religiosè per agros gestata non posset esse tutela & benedictio frugibus, ne quid detrimenti capiant à tempestatibus, vel sceleratorum hominum veneficijs? Omitto plura huius generis exempla, quibus perspicuè ostenditur, Christianos haud inaniter multum spei ac fiduciæ in sacratissimo hoc mysterio collocare.

Dixeram. Non peccasse Ethnicos, quod sacrificauerint: sed quod sacrificauerint Cereri; Ioui, Marti. Nec peccasse quòd præsidium & tutelam frugibus quæsiuerint; sed quòd quæsiuerint à Cerere, alijsque idolis, vel potius Dæmonibus. Prædicans imperitissimè occlamat: *istos etiam sacrificando peccasse; quod à forma & caremonia sacrificandi à Moyse præscripta recesserint.* Et hoc simili insipientia

pientia aliquoties repetit: cum tamen certum sit, legibus & ritibus Mosaicis, quatenus tales, non obligatos fuisse, nisi Hebræos; non autem illos populos, qui extra synagogam viuebant; Isti enim lege naturali ducebantur & regebantur; Itaque secundum præscriptum legis naturalis sacrificia sua instituere ac perficere poterant; vt etiam factum à sanctis patribus Noë, Abraham, Isaac, Jacob, alijsq́; priusquam Moyses Iudæis legem daret, omnesque ritus sacrificiorum minutatim præscriberet; à quorum norma Iudæis nefas erat discedere, non autem alijs extra Hebræorum Rempublicam, quandoquidem huius decretis & institutis minimè tenebantur.

Itaque si Prisci, qui Cereri, Ioui, Neptuno, Marti, &c. sacrificabant boues & oues, vt eos placarent, vel ab eis beneficij quidpiam impetrarent; has res vero & vnico Deo immolassent, tam parum sceleris admisissent, quam parum sceleris admiserunt alij, qui sub lege naturæ huiusmodi res vero & vnico Deo immolarunt: Et quidquid Caluinianus contra detonat, id nihil est aliud, quàm merum rus, & rudissima inscitia. Neque ego vnquam aut excusaui, aut excusaturus sum Iudæos, aliter & alibi, quàm Deus per Moysen præceperat; sacrificantes; quia ipsi ad vnguem obseruare debebant, quidquid lex iubebat, neque inde vel ad dexteram vel ad sinistram declinare licebat. Hoc dico, alios extra synagogam his legibus non fuisse subiectos. Et ipsos Iudæos, si quando Dei & legis obliti ad populos extra synagogam deflectebant, non ad illos deflexisse, prout sua sacrificia licitè in-

honorem vnius & veri Dei peragere poterant, sed vt hostias & victimas immolabant Baalim, Astaroth, Chamos, Moloch, Beelphegor, & id genus alijs idolis, vel potius Dæmonijs. Quorum impietatem scriptura meritò toties & tam grauiter detestatur & insectatur.

CAPVT IX.

Defenduntur & explicantur dicta sanctorum Patrum de adoratione Eucharistiæ.

VT Caluinista chartas commaculet, verbosissimè de adoratione Eucharistiæ declamitat: & accitis ex Rhapsodia Sacramentariæ suæ historiæ omnibus copijs, iam olim contra Bellarminum productis, easdem hic denuo recenset ac instaurat, euertere conans, sed inani conatu, quidquid Bellarminus hac de re disseruerat.

Principiò negat hanc consequentiam. *Christus est adorandus, ergo in sacramēto est adorandus.* Atq; vis huius consecutionis tā est euidens, vt tuis antecessoribus, Prædicantib⁹ Tigurinis in Apologia contra vltimā Lutheri confessionē, veritatis hanc confessionē extorserit. *Si in cœna Christus verè & corporaliter pſens est, cur ibi non adoraretur? Cur id non adoraretur, quod ibi est, non sacramentaliter tantùm, sed verè etiam est corpus Christi? Cum verum Christi corpus tangeret Thomas, in genua procidit, illum adorauit & dixit:* Domine mi, & Deus meus. *Et discipuli Dominum ante & post Ascensionem adorarunt Matth. 28. Act. 1. Verè si doceremus, panem*

nem Domini esse naturale verum corpus Christi, vellemus id cum Papistis diligenter & fideliter adorare. Hæc Tigurini, Maiores & antecessores Hospiniani; quibus, vt vides, consecutio illa proba & probata fuit, vt & Bezæ, in Apologia ad Acta Conuentus Torgensis, prout allatis Bezę verbis docui in Summula *Casuum Conscientiæ Lutheranæ & Caluinianæ*, in Quæstionibus de Eucharistia.

Quæ ex Simone Litho seu Stenio Miseno recitas, iam pridem in Panegyrico Misenico difflaui; cuius inscitia & imperitia nunquam efficiet, vt in Eucharistia habeamus non verum, reale, naturale & substantiale corpus Christi, sed *phantasma* quoddam, vt tu blasphemas. Istud nobis longè citius persuadebitis, vos nec rationem substantialem & naturalem corporis, nec quantitatis veram notionem compertam habere, adeò insulsè & ineptè in hac disceptatione versari soletis: nam quid te iuuat Bellarminus, qui dicit, Christum in Eucharistia non existere *per modum corporum*, sed *per modum spirituum?* An ideo sequitur, in Eucharistia non esse verum, reale, & substantiale corpus Christi, quia corpus Christi in hoc sacramento nō existit per modum corporeum, hoc est, non *quantitatiuè* seu *circumscriptiuè* in loco? An corpus, saluâ suâ essentiâ & naturâ aliter existere nō potest, nisi *circumscriptiuè?* Vos quidem Zvvinglicolæ & *Sacramentiperdæ* ita perditè sentitis. Sed hoc ipso vestro sensu satis ostenditis, quàm ab omni interiore philosophica cognitione deserti ac destituti sitis.

Nec plura de hoc: vt nec de effronte illo tuo mendacio, patres, quos magno numero, imposturæ faciendæ caussâ, conglobas, docuisse; Christum *realiter*

& substantialiter non esse in sacramento: aduersus quam
impudentiam Lector paratū Antipharmacum ha-
bet in instructissima officina Bellarminiana. Do-
cuerunt enim, Sacramentum & Christum in Sacra-
mento esse adorandum; agnouerunt ergo Christi in
Eucharistia præsentiam. Conatur quidem Caluinia-
na sæpia atramentum offundere & affundere, sed ir-
rito nisu.

Primum locum apud Bellarminum lib.4. de Eu-
charistia cap.29. tenet S. Dionysius Areopagita cap.
3. Ecclesiast. Hierarch. p.3. qui sacramentum hoc his
verbis alloquitur. ἀλλ' ὦ θειοτάτη καὶ ἱερὰ τελετὴ, τὰ περι-
κείμενά σοι συμβολικῶς ἀμφιέσματα τῶν αἰνιγμάτων ἀποκα-
λυψαμένη, τηλαυγῶς ἡμῖν ἀναδείχθητι καὶ τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις
ἑνιαίου καὶ ἀπερικαλύπτου φωτὸς ἀποπλήρωσον. *Verùm, ô diui-
nißimum sacrumque mysterium* (seu sacramentum) *de-
positis ænigmatum indumentis, quibus symbolicè circumda-
ris, perspicuè te nobis ostende, & mentis nostra oculos singu-
lari, & quod obtegi nequeat, lumine comple*. Mirum certè
foret, si θειοτάτη καὶ ἱερὰ, & vt à B. Dionysio paulò su-
perius nominatur, ἱερωτάτη τελετὴ non esset adoran-
da. An adorari non potest id, quod est *diuinißimum &
sanctißimum sacramentum*? Nunc fraudes Caluinisti-
cas videamus. Primò τελετὴν vertit *cæremoniam*; syco-
phanticè prorsus. Nam *mysterium* seu *sacramentum*
verti debere; res ipsa loquitur: Quis enim sensus es-
set; *O diuinißima & sancta cæremonia, depone vestimenta
ænigmatum, quibus symbolicè amiciris, & palam te nobis
ostēde, &c.* Cæremonia actionem denotat: at id quod
S. Dionysius compellat; res est permanens & con-
stans, ænigmatum operimentis cooperta, quam ro-
gat, vt depositis istis symbolicis tegumentis, conspi-
cuam

euam sese nobis exhibeat. Num hęc in cæremoniam seu actionem aliquam competunt?

II. Producit Caluinista Pachymerem, B. Dionysij Commentatorem, eumq; Bellarmino opponit. *Respondet pro nobis Pachymeres*, inquit Caluinista, *sic interpretans verba Dionysij.* Affatur illam tanquam rem animatam. Et merito: quemadmodū & Theologus Magnus Gregorius ait: *O magnum & sanctum Pascha.* Hactenus rectè. Nunc audi imposturas Caluinisticas. *Et eiusmodi sacrum mysterium ipse est Dominus noster Iesus Christus, ad quem loquitur sanctus.* Peruersè simul & sceleratè. Nā Pachymeres ita scribit. τὸ ἡμέτερον γὰρ πάσχα, καὶ ἡ τοιαύτη ἱερὰ τελετὴ αὐτός ἐστιν ὁ κύριος Ἰησοῦς Χριστός, πρὸς ὃν ποιεῖται τὸν λόγον ὁ ἅγιος ἵνα ἀποκαλύψῃ τὰ ἀμφιέσματα, καὶ ἀποπληρώσῃ τοῦ ἑνιαίου φωτός. Quæ latinè ita sonant. *Pascha enim nostrum, & hoc sanctum sacramentum, est ipse Dominus noster Iesus Christus, quem sanctus* (Dionysius) *alloquitur, vt operimenta deponat, & mentes singulari luce compleat.* Hæc Pachymeres: vbi manifestè asserit, vt Pascha nostrū est ipse Christus; ita hanc ἱερὰν τελετὴν, *hoc sacratissimum sacramentum*, esse ipsummet Dominum nostrum Iesum Christum, & ad hunc Dominum nostrum Iesum Christum, orationem suam instituere; vt depositis ænigmatum velamentis (hoc est, externis Eucharistiæ speciebus) palam se nobis exhibeat.

Nunc lectorem statuere volo, quid de Caluiniano isto impostore statuendum sit; præsertim cum sequentia verba Pachymeri impudentissimè adscribat; quæ in Pachymere non comparent. Ad quem? (loquitur S. Dionysius) *hoc est, ad eum, qui in cælis est,* non

non ad illud, quod in mensa coram iacet. Hæc verba non sunt Pachymeris, sed ab Hospiniano scelerate simul & imperite conficta sunt. Scelerate, quia impiam sententiam Pachymeri affingit. Inspiciat lector Commentarium Pachymeris Parisiis Græcè excusum Anno 1562. Si prædicta verba inuenerit; libenter Caluinistam ab impostura absoluam. Imperitè etiam verba illa confinxit; quia Christus in cælo non est tectus obscuris ænigmatum inuolucris & indumentis, sed facie ad faciem cernitur. At Christus in hoc sacramento existens ἀμφιέσμασι τῶν ἀινιγμάτων; *Operimentis ænigmatum*, hoc est, speciebus accidentalibus panis & vini symbolicè circumdatur.

Obiicit Caluinista. Paulò antè dixerat Dionysius: *Ingrediamur ab effectis ad caussas*: hoc est, eodem *Pachymere Interprete, ab iis, quæ visibiliter celebrantur, ad inuisibilia & mystica.* Dicat hoc B. Dionysius, eiusq; dictum, ita, vt tu dicis, Pachymeres explicet. An ideo priorem Pachymeris locum nefariè & indoctè non corrupisti? An ideò Christus non est præsens in Eucharistia seu in hoc diuinissimo & sacratissimo mysterio? Minimè verò, Hoc enim vult S. Dionysius; vt ab effectis, hoc est, à speciebus Eucharisticis externis panis & vini progrediamur ad ipsas caussas, hoc est, ad inuisibilia & mystica, nempe ad ipsum Christum sub his speciebus comprehensum, non enim vult, S. Dionysius, vt, quod multi faciunt, in sola externa symbola, seu solas species Eucharisticas quę sub sensum cadũt, intueamur, sed iubet, vt relictis *propylæis*, seu vestibulis (sic species externas appellat) in ipsa adyta, hoc est, ad ipsum Christum sub illis speciebus contentum, ingrediamur; vt facit Antistes, qui, vt ait D. Dio-

B. Dionysius, semper fertur spirituali mentis oculo πρὸς τὰς ἁγίας τῶν τελουμένων ἀρχάς. Hoc est, interprete Pachymere, πρὸς αὐτὸ τὸ τοῦ κυρίου τίμιον σῶμα καὶ αἷμα, πιστεύων, ὅτι καὶ τὰ προκείμενα εἰς ἐκεῖνα μετεβλήθησαν τῷ ἁγίῳ καὶ παντουργῷ πνεύματι, *in ipsum Domini pretiosum corpus & sanguinem, credens, panem & vinum, vi sancti & omnipotentis spiritus in corpus & sanguinem Domini conuersa esse.*

Eat nunc cum sua Glossa Caluinisequa, & Antistitem *semper ad Deum respicere* aiat; Quanquam & ad Deum respiciat; quia ad Christum; verùm vt sub externis illis symbolis intimè præsentem. Quocirca in nebulas abit illa Caluinicolæ percôtatio. *Si verò Christus in signo, aut sub signorum accidentibus, cur non ad illa, sed alio respicit?* Respicit vtique etiam ad symbola, sed in illis gradum non figit, quia progreditur ad Christum sub illis symbolis intimè præsentem; vt antea dictum.

Transcenso Clemente Romano, quem Bellarminus protulerat, confert se Caluinista ad Origenem. qui Homilia Quinta in diuersa loca Euangelij ita scribit: *Quando sanctum cibum, illudque incorruptum accipis epulum, quando vitæ pane & poculo frueris, manducas corpus & sanguinem Domini; tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Et tu ergò humilians temetipsum imitare hunc Centurionem, & dicito;* Domine, non sum dignus, vt intres sub tectum meum.

Respondet Caluinista: *In his verbis Origenes nullam prorsus mentionem, vel adorationis Sacramenti, vel realis & corporalis præsentiæ Christi, facit.* Quid ergo volunt sibi ista verba? *Manducas corpus & sanguinem Domini.* Num absentis corpus manducari, & sanguis bi-

bi potest? Num potest manducari & bibi corpus & sanguis absens? Quid item sibi volunt illa verba? *Tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur.* Num Dominus absens sub tectum tuum ingredi potest? At tu *Tropista*, ad Tropum confugies. Verùm nos verbis Origenis, prout sonant, constãter inhærebimus, & te cum tuis tropis ad *Tropicũ Capricorni* abire iubebim⁹; præsertim cum Origenes clarè dicat; eum Dominum in communione sub pectoris tui penetralia intrare, quem olim Centurio deprecabatur, ne domum suam subiret, quod se hoc tanto honore indignum reputaret.

Deinde, quid verba illa sibi volunt? *Et tu ergo humilians temetipsum, imitare hunc Centurionem, & dicito: Domine non sum dignus, &c.* Obsecro, quid est adorare, nisi se coram Christo deiicere, submittere, & interius exteriusq; humiliare, illius maiestatem extollendo & prædicando; nostram verò vilitatem & abiectam conditionem agnoscendo?

Occinit Caluinista. Ex Origenis sententia, *Christũ ita in cõmunione sub tectũ nostrũ intrare, sicuti intrat, quãdo Antistes Ecclesiæ domũ nostram ingreditur; at in hoc casu Christus non ingreditur domũ nostram realiter; ergo nec in cõmunione.* Respondeo, Maiorẽ esse fatuam, & apertè contra Origenis mentẽ: nam ipsemet modum, quo intrat Christus per antistites, & vicarios suos, distinguit à modo, quo intrat in Eucharistia; & priorem illum indicat esse Metaphoricũ; posteriorẽ verò proprium & realem: subdit enim; *ubi ad indignum ingreditur,* per sumptionem scilicet Eucharistiæ; *ibi ad iudicium intrare accipienti.* At Origenes nuspiam dixit, quando Christus per antistites & sacerdotes ingreditur

ditur ad indignum ; ingressum illum ei, ad quem ingressus fit, cedere in iudicium & exitium. Cur, nisi quia hic ingressus est tantùm metaphoricus; Ille autem in Eucharistia realis & substantialis? Nec nisi de Eucharistico ingressu monuit Origenes, vt nos, exemplo Centurionis, humiliemus & abiiciamus: dicentes; *Domine non sum dignus, &c.*

S. Cyrillum Hierosolymitanum à Bellarmino adductum transilit Caluinicola, hoc saltem loco, & eo, quo à Bellarmino positus fuerat, fortè quia videbat verba eius clariora esse, quàm vt vllo glossemate assuto eludi possent. Itaq; ad S. Ambrosium se confert: qui lib. 3. de Spiritu sancto cap. 12. tractans illud Psalmi; Adorate scabellum pedum eius, dicit: *Scabellum caro Christi est, quam hodie quoque in mysteriis adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.*

Respondet Caluinista: *Ambrosium non dicere; nos mysteria, aut carnem Christi substantialiter præsentem, & realiter comprehensam seu contentam in mysteriis adorare; sed Christi, inquit, carnem adoramus in mysteriis, nimirum in celebratione mysteriorum, fidei oculos & corda sursum erigentes, vbi Christus sedet ad dexteram Patris.* Quæ responsio nihil aliud est, quàm putida cauillatio: Nam S. Ambrosius docet, Christum seu carnem Christi in mysteriis, hoc est, in Eucharistia, peculiari quodam modo adorari, qui extra mysteria non sit vsitatus; At vt quis mente ad Christum assurgat, eumque per fidem veneretur ac colat, id in cuiusuis rei vsu, & tã in pane & vino vulgari, quàm in Caluiniano locum habere potest; & eò magis, quò panis est delicatior, vinumque sapidius. Neque illud; *in mysteriis:* ad homines referri debet; sed ad carnem Christi, in myste-

riis illis *existentem*; vt patet cum ex aliis S. Ambrosij locis, quibus realem carnis Christi in Eucharistia præsentiam euidéter adstruit, prout videre est apud Bellarminum lib. 2. de Eucharistia cap. 14. tum quia S. Ambrosius peculiari quodam modo carnē Christi in Eucharistia adorari significat: qui peculiaris modus in eo consistit, vt caro Christi in *mysteriis* adoretur præsens, quemadmodum olim ab Apostolis præsens adorata est; nam vt adoretur absens, per eleuationem mentis in cælum, id vbique fieri potest.

Obstrepit Caluinista: *Hieronymum scribere; Paulam adorasse Christum in præsepi: se verò in sepulchro.* Addit Chrysostomum homil. 14. in Marcum, vbi dicit: *Nos corpus Christi in baptismo adorare:* Nec tamen sequitur, *corpus Christi tum vel in præsepi vel in sepulchro substantialiter & realiter præsens fuisse, vel nunc in baptismi Sacramento substantialiter præsens adesse.*

Respondeo, fieri quidem posse, vt Christus in signo seu lipsano aliquo suo, etiam absens, adoretur, vt prædicta exempla ostendunt, & liquet id etiam in cultu ciuili, Regum ac Principum, quos sæpe veneramur audito vel nomine, vel visa eorum effigie; sed hoc responsum, vel potius effugium, hic non habet locum: quia S. Ambrosius docet, carnem Christi in Eucharistia sic adorari, prout adorata est ab Apostolis Matth. 28. Et à Maria Magdalena; his enim exemplis vtitur, sed isti adorarunt carnem Christi, vt præsentem; ergo in Eucharistia adoratur quoq; eadem caro, vt præsens, non tantum, vt in signo seu symbolo, præsertim cum alibi S. Ambrosius apertissimè affirmet; Christum in Eucharistia realiter præsentem esse,

esse, vt pluribus testimonijs allatis docet Bellarminus loc. cit.

Quod autem Ambrosius disertè non dicit, *ipsa mysteria esse adoranda:* non obstat: nam qui dicit, Christum *in mysterijs* esse adorandum, is etiam tacitè indicat, ipsa mysteria, sub quibus Christus continetur, esse adoranda: sicut qui dicit Regem sub purpura & corona colendum, is etiam dicit coronam & purpuram Regis esse colendam, licet per accidens. Hactenus de S. Ambrosio.

Eusebium Emissenum tacitus præterit Caluinista. Ad Theodoretum properat; qui Dialogo secundo ita scribit. *Neque enim signa mystica post sanctificationem recedunt à sua natura. Manent enim in priore substantia, & figura, & forma; & videri & tangi possunt, sicut & prius; intelliguntur autem ea esse, quæ facta sunt, & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sunt, quæ creduntur.* Respondet Caluinista. *Non posse ex verbis Theodoreti colligi vllam præsentiam corporis Christi in Eucharistia; multò minus conuersionem substantiæ panis & vini in corpus & sanguinem Domini.* Respondeo, hic iterum Crassus noster ipsa vocabula *Transelementationis*, *Transsubstantiationis*, & *conuersionis* desiderat, desideraturus fortè etiam vocem *Trinitatis*, in scripturis, vt Trinitatem esse, sibi persuadeat. An non vides rem ipsam in Theodoreti verbis? In illis, inquam, verbis: *Intelliguntur autem* (symbola externa, seu species Eucharisticæ) *ea esse* (quoad substratam scilicet substantiam) *quæ facta sunt; & creduntur, & adorantur, vt quæ illa sint, quæ creduntur:* hoc est; sub externis illis symbolis intelligimus ea esse, nempe corpus & sanguinem Domini; in quæ conuersa sunt; &

& hoc credunt fideles; & quia credunt esse illa, nempe corpus & sanguinem Domini, ideò adorant.

Occinit Caluinista. *Prædicta verba in Theodoreti Dialogo, esse verba collocutoris Hæretici, cum quo Theodoretus disputat.* Respondeo, si sunt verba Hæretici, cur ergo priorem illorum partem adeo frequenter & insolenter Caluiniani inculcant? Secundò licet sint verba Hæretici, non tamen sunt hæretica; nec à Theodoreto, tanquam hæretica, refutata fuêre, quia ex communi omnium orthodoxorum de hoc Sacramento sententia, desumpta erant: neque necesse est, vt quidquid loquitur hæreticus, hæreticum sit; alioqui etiã hæc propositio: *Deus est trinus & vnus*; hæretica foret, quia non semel ab Hæreticis Luthero, Caluino, & Beza asserta est. Neque Bellarminus verbis Theodoreti quidquam assuit, vt calumniatur Caluinicola; sed mentem Theodoreti explicat, tam clarè, vt veritatis perspicuitas, miserum Caluinistam à posterioribus verbis ad priora repulerit, & vt hunc claudicantem syllogismum texeret, impulerit. *Oportet Typum similem esse veritati. At mystica symbola corporis & sanguinis Christi post sanctificationem à propria sua essentia non recedunt. Ergo nec corpus ipsum assumptum à Deitate à propria essentia recessit.*

Respondeo, multos fore, quibus maior propositio, generatim, vt à te profertur, admodum difficilis creditu futura sit; dicent enim mirabilia *corollaria* seu *consectaria* inde sequi: nam hirci, boues, oues, arietes qui in veteri Testamento immolabantur, erant typi Christi Redemptoris nostri labentibus annis in ara Crucis immolandi. Num isti similes

les Christo? sed dissimulemus hanc similitudinem, eamque in analogia & proportione quadam non in vniuoca parilitate consistentem, non tecum qui eam non intelligis sed cum Theodoreto, agnoscamus: Ad minorem Respondeo; eam esse veram, de mysticis symbolis Eucharisticis accidentalibus, vt de quantitate, colore, & id genus alijs externis speciebus panis & vini quæ post consecrationem non mutantur, quia quoad substantiam hoc est, essentiam & naturam suam; item quoad formam & figuram suam externã non variantur, sed videri & tangi possunt, sicut & prius: nõ autem verã esse, si sensus sit, nullã penitus mutationẽ, etiam inuisibilẽ, circa hæc externa symbola accidere; nam antea verè inhærebant substantiæ panis, & vini, cum ea habitudine, quam accidentia ad subiectum inhæsionis habere solent. At post consecrationem hæc inhæsio desijt, & noua habitudo, ad Christum, sub illis speciebus intimè iam existentem, quamuis non vt ad subiectum inhæsionis accessit: quam mutationem adeò non negauit Theodoretus, vt eam apertè indicauerit, cum ait; Intelliguntur autem symbola (ista externa) *ea esse, quæ facta sunt*, nempe per consecrationẽ. Aliquid ergo iam sunt, quod antea non erant, ergo aliquam mutationem subierunt. Et creduntur symbola ista aliud facta esse; *& propterea adorantur*; & quare adorantur? *Quia creduntur esse illa.* Quæ? Corpus & sanguis Christi. *Nam post sanctificationem appellantur illa symbola corpus & sanguis Christi*, inquit Theodoretus, sicuti ante consecrationem propriè vocabantur panis & vinum. Neque reprehendit Theodoretus Eranisten, persona interlocutoris in illo

illo Dialogo fungentem; quod dixisset; *symbola post consecrationem mutari*; sed quod ea mutari, contra manifestam experientiam, vniuersaliter asseruisset; vt inde errorem suum de mutatione humanæ naturæ Christi in diuinam stabiliret.

Vide autem, quàm frigidè & friuolè adorationem eludere tentet Caluinista. Theodoretus vtitur verbo προσκυνεῖται, non λατρεύεται. Quid tum? An προσκυνεῖν non est adorare, sumpta etiam adoratione propriè & strictè pro cultu soli Deo debito? An Magi Matth. 2. non adorarunt Christum? Quam adorationem audi quo vocabulo exprimat Euangelista. καὶ πεσόντες προσεκύνησαν αὐτῷ. Et ad Hebr. cap. 1. καὶ προσκυνησάτωσαν αὐτῷ πάντες ἄγγελοι θεοῦ. *Et adorent eum omnes Angeli Dei.*

Secundo dicit Caluinista: *In sacramentis non esse attendendum quid sint, sed quid significent.* Vnde iste nobis cum nouo hoc suo axiomate prodit? Siccine, in Baptismo & Eucharistia considerandum non est, quid sint, sed tantum quid significent? Tollantur ergo omnes definitiones & descriptiones Sacramentorum; Nil disputetur de sacramentorum materia & forma. Quod si *essentia* sacramentorum in sola significatione consisteret, non tamen id quod effutiuisti, effundere debebas; quia fieri nequit, vt qui sacramenti significationem considerat, non consideret simul sacramenti essentiam, si essentia sacramenti sit significatio.

Perge Caluinista. Quid ex hoc tuo delirio concludis? Sacramenta, adorari, *vt Antitypa, ratione prototypi, vt signa ad rem signatam relata*, σχετικῶς non λατρευτικῶς. *Honor igitur ille non residet in eis, sed ab ijs ad res,*

quæ

quæ significantur, transfertur. Caluinista, more suo, diuerticula quærit. Nō est sermo, qua ratione sacramenta alia colantur; de sola Eucharistia nobis sermo est, idque occasione Theodoreti; cuius cultus & veneratio peculiaris est, eò quòd Christus in hoc sacramento realiter & substantialiter sit præsens. Intra Eucharistiæ ergo terminos maneamus, & non extra ad alia euagemur, nullo fructu, nisi vt veritas obscuretur.

Dicit ergo Theodoretus: symbola Eucharistica *intelligi ea, quæ facta sunt, per consecrationem: & credi, & adorari.* Si symbola præcisè sumamus; non inuitus Caluinianolargior ea adorari σχετικῶς, hoc est, cum habitudine ad Christum, quem sub se continent, at non solum σχετικῶς, sed σχετικῶς λατρευτικῶς. hoc est, Latria habitudinali seu analogica: neq; enim hæc duo opponuntur, vt iste imperitè existimat; quia eodem honore honoratur signum, & res significata, quamuis non eodem modo. Si autem sacramentum sumamus adæquatè, prout ipsum etiam Christum complectitur, tunc absolutè, & sine habitudine seu relatione ad aliud; verbum *adorandi* apud Theodoretum accipi debet: nam Christus filius Dei, præsens in illo sacramento absolutè & sine relatione ad aliud adoratur: quemadmodum etiam Rex coronatus & purpuratus, absolutè colitur; licet sola corona & purpura, non nisi cum respectu ad Regem honoretur.

Oggrunnit Caluinista. Adorare *Theodoreto nihil aliud esse, quàm honorare, venerari & reuerenter suscipere;* Intellige: ꝑ subiecta materia. Cū ergo materia, de qua Theodoretus agit, sit Sacramentū Euchari-

stiæ, in quo, ex Theodoreti sententia, realiter est Christus Dominus, oportet, vt ista veneratio sit latria; σχετικὴ quidem, seu respectiua ratione ipsarum specierum Eucharisticarum: Absoluta autem, si sacramentum adæquatè consideremus, quia in illo Christus comprehenditur, cui tanq̃ filio Dei, & vero Deo latria competit. Quàm verũ sit autem, quod hic fabulatur Hospinianus, se & suos libenter concedere, sacramenta esse *honoranda, veneranda, & reuerenter suscipienda*, satis testatur istorũ mos, qui ita habet, vt si quid de pane vel vino Caluiniano in terram decidat, id ne tollere quidem dignentur.

Sequitur S. Gregorius Nazianzenus, cuius Oratio in S. Gorgoniam, sororem suam, luculentissimum testimonium pro adoratione Eucharistiæ nobis suppeditat: loquens enim de pietate sororis suæ ægrotantis ita scribit. *Desperatũ omnibus alijs auxilijs, ad mortaliũ omniũ medicum confugit, atque intempesta nocte captata, cũ morb⁹ nonnihil remisisset, ad altare cũ fide procumbit; eumq;, qui super ipso honoratur, cũ ingenti clamore inuocans, &c.* Quid est, *quod super altare honoratur*, nisi Eucharistia, vel Christ⁹ in Eucharistia? Caluinista accusat versionẽ. Sed iudicet, quisquis iudicare potest, an prædicta verba latina, non respondeant his Græcis: τῷ θυσιαστηρίῳ προσπίπτει μετὰ τῆς πίστεως, καὶ τὸν ἐπ' αὐτῷ τιμώμενον ἀνακαλουμένη. Nam quod Caluinicola garrit; illud ἐπ' αὐτῷ vertendum; *in illo*; non *super ipso*; aut, *super illud*; id inprimis inanis rimula est, per quam nonnihil vim huius testimonij sese declinaturum sperat. Deinde res eôdem rediret, nisi Nouator sub illo suo: *In illo*: pessimum sensum occuleret: nam Eucharistia & *super*, &, *in altari* honoratur:

tur: quemadmodum eadem & *super altari*, & *in altari* conficitur & tractatur; sed longè aliud vult Caluinista; nempe Gorgoniam accessisse ad altare, tanquam ad signum & symbolum Christi, primarium enim, & quasi Prototypon altare nostrum esse Christum; Et in eo altari, tanquam in signo, Christum honorasse, & inuocasse. Quæ cauillatio non multum differt ab illa quam olim Petro Pseudomartyri Diabolus inspirauerat: de qua Bellarminus lib. 2. de Eucharistia cap. 18. sed valenter repugnat Phrasis illa Gregorij: τὸν ἐπ' αὐτοῦ τιμώμενον. Quis enim de symbolo seu signo loquens, dicit: Prototypum ἐπ' αὐτοῦ τιμᾶσθαι? Aduersantur quoq; hæc D. Gregorij verba: *cum caput suum pari cum clamore lachrymisq́, quibus abundabat, altari admonuisset, nec se prius illud dimissuram esse denunciasset, quam sanitatem obtinuisset, atque deinde hoc suo pharmaco* (lacrymarum) *corpus totum perfudisset, & si quid vspiam antityporum pretiosi corporis aut sanguinis manus recondiderat, id lacrymis admiscuisset, (o rem admirandam) statim liberatam se morbo sentit, &c.*

Mentitur autem & calumniatur Caluinisequa, quando dicit; *Bellarminum fingere, pyxidem positam fuisse super altari, in quo frustulum panis seruatum fuerit, & Gorgoniam hoc adorasse.* Nihil Bellarminus de pyxide. Nihil *de panis frustulo*, vt impius iste loquitur. Tantùm dicit, id, quod verum est, Gorgoniam nocte quadam in templum sese proripuisse, ac procumbentem ante altare coram venerabili sacramento, ita orasse, vt statim conualuerit. In quibus verbis nihil est, quod non examussim cum S. Gregorij narratione concinat.

Fatetur Caluinista; Gorgoniam secum habuisse Eucharistiam, *verùm non in altari positam, sed vel in veste vel in sudario*: Et hoc colligi ex ipso Gregorio. Respondeo, I. absolutè rem spectando, satis nobis est, Gorgoniam, tutelæ & medicaminis gratia, Eucharistiam secum habuisse, & ad eum, qui in Eucharistia præsens inerat; sanitatis recuperandæ gratia ingenti pietatis, cultus & reuerentiæ affectu confugisse. Secundò Eucharistiam in altari positam fuisse; manifestum euadit ex verbis S. Gregorij. Ait enim Gorgoniam cum vbertim manantibus lacrymis caput altari admouisse, nec se prius illud dimittere statuisse, quàm sanitatem obtineret: Et si quid vspiam *antityporum* pretiosi corporis aut sanguinis manus reseruasset, id lacrymis admiscuisse: vel, vt Caluinista ait; lacrymis Eucharistiam perfudisse, Oportet igitur Eucharistiam in altari fuisse, quomodo enim alioqui eam lacrymis perfundere, vel lacrymis suis admiscere potuisset, cum, vt ait S. Gregorius, caput altari admotum haberet? Nam stulta est Caluinicolæ sciscitatio: *Si ad altare procubuit, & Eucharistia in vel super altare posita fuit, quomodo potuit eam lacrymis perfundere?* Si altare copiosis lacrymis rigare potuit, vt factum testatur S. Gregorius, cur non potuisset quoque positam in vel super altare Eucharistiam lacrymis perfundere, vel admiscere, vt habent Græca verba?

Oblatrat Caluinista. *Hæc noctu accidisse.* Sit ita. *Nec esse credibile, Eucharistiam noctu in altari fuisse positam*: Cur non credibile? An tibi id certius notum, quàm ipsi Nazianzeno? Nec dicit S. Gregorius, Gorgoniam, *capite in altare inclinato, pedes Christi lauisse*: vt comminiscitur Caluinista; non alio consilio,

quàm

quàm, vt inde suum commẽtum stabiliat, quod scilicet altare sit symbolum Christi; Gorgoniamque in altari, tanquam in suo signo seu typo Christum honorasse; sed ait; eam, capite altari admoto, lacrymas profudisse, instar eius mulieris, quæ olim pedes Christi, lacrymis rigauit. Addamus hoc obiter. Si altare est symbolum Christi; cur Caluinistæ omnia altaria euerterunt? Cur ne nomen quidem ferre volunt? Præterea Gorgonia ante altare & Eucharistiam in genua procidit, Christum in illo & hac, saltem, vt in signo, honorauit & inuocauit: cur idem facere Sectarij abnuunt?

Post S. Gregorium Nazianzenum, sequitur sanctus Ioannes Chrysostomus: qui Homil 61. ad populum Antiochenum, *Si pura*, inquit, *sunt vestimenta, adora & communica.* Respondet Caluinista: *Chrysostomum non velle, vt prius adoretur sacramentum, sed vt adoretur Christus corpore suo vero in cælo existens, deinde communio sumatur.* Caluinianũ cauillatorem audis. Sanctus Chrysostomus iubet, vt ille, qui in hoc conuiuio præsens est, adoretur. *Considera*, inquit; *mensa regalis est apposita*; *Angeli mensæ ministrantes*; *Ipse Rex adest, &c. Igitur adora*; Quem? *Regem præsentem*; hoc est, Christum: & *communica.*

Idem S. Chrysostomus Homil. 24. in cap. 10. epist. 1. ad Corinth. *Hoc corpus cum Magis adorare debemus.* Respondet Caluinista; *Christum à Magis non adoratum, vt Deum*; sed, vt Regem; sed hoc nec cum pietate nec cum placitis veterum concinit, qui thus, vt Deo; aurum, vt Regi; Myrrham, vt homini à Magis oblatam tradunt. Scilicet Magi illi ob vnius Regis; adhuc infantis, caussam, tantum itineris & periculi

susceperunt, neque aliquid sublimius in infantulo illo agnouerunt, oculisque sitientibus contemplati sunt.

Secundò respondet Caluinista; *Chrysostomum iubere, vt adoremus Christum iam in cælo existentem; id liquere ex antecedentibus & consequentibus verbis*. Sed sycophantatur hæreticus: nam expressè dicit; Christũ, qui à Magis in præsepi visus & adoratus est, videri nunc atque adeo adorari debere, in altari. *Illi*, inquit, *cum præsepe, & tugurium tantummodo, neque eorum quidquam, quæ tu nunc intueris, viderent, summa accesserunt reuerentia & horrore: Tu verò, non in præsepi, sed* IN ALTARI, *nō mulierem, quæ vlnis teneat, sed sacerdotem præsentem, & spiritum abundè super proposito diffusum sacrificio vides, &c.* Quid clarius non noctuinis, sed rectis oculis? Expressè enim dicit, Christum, qui realiter & substantialiter in præsepi erat; realiter quoq; & substantialiter in altari esse; ac proinde ea pietate, & reuerentia, (vel potius maiore) accedendum esse ad Christum in altari, qua accesserunt Magi ad Christũ in præsepio. *Excitemur igitur*, inquit S. Chrysostomus, *horrescamusque, & maiorem, quàm barbari illi præ nobis feramus pietatem, vt non simpliciter, neque frigidè accedentes, vehementiori igni caput obiiciamus.*

Homilia tertia in cap. I. Epistolæ ad Ephesios ita scribit S. Chrysostomus. *Quotquot in corpore Christi communicamus, quotquot sanguinem illius gustamus, cogitemus, quod illius corpus & sanguinem gustamus, qui in cælestibus sedet, qui ab Angelis adoratur, &c.* Vbi perspicuè indicat, nos in Eucharistia illud ipsum corpus sumere, quod in cælis ab Angelis adoratur. Oggannit Caluinista: *Vitiosam esse hanc consequẽtiam à Bellarmino confectam.*

fectam. Angeli adorant Christi corpus in cælis existens: ergo Christiani idem corpus in Eucharistia existens, adorare debent. Atqui quidquid contrà blateres, optima est hæc consequentia, & planè ex sensu & mente S. Chrysostomi: qui cum eundem in Eucharistia, qui in cælo ab Angelis adoratur, præsentem esse dicat; an non simul indicat, eum ab hominibus quoque adorandum esse? si enim adoratur ab Angelis, cur non adoraretur ab hominibus? Vtri magis obligati sunt Christo? Angeli an homines? Mitto dicere, quòd S. Chrysostomus in extrema Homiliæ illius parte, totus in eo occupatur, vt auditores suos ad cultum & venerationem Christi excitet. Mendacium autem est, verba illa; *In istis vasis non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur*; esse S. Chrysostomi: sunt enim Auctoris *Operis Imperfecti* super Matthæum. Et forsan nec illius, sed alicuius Berengariani impostoris. De qua relegatur Bellarminus lib. 2. de Eucharist. cap. 22.

S. Chrysostomo subiungitur S. Augustinus, qui in Psalmum 98. *Nemo illam carnem manducat, nisi prius adorauerit.* Occinit Caluinista: Hoc intelligendum de carne, prout existit in cælo; sed hoc absurdum est; nam homo non manducat carnem Christi, prout existit in cælo; sed prout existit in Eucharistia. Loquitur ergo sanctus Augustinus de adoratione carnis Christi, prout existit in Eucharistia, quandoquidem loquitur de manducatione carnis Christi, non nisi prout in Eucharistia existit; nā prout caro Christi existit in cælo; non propriè manducatur; sed impropriè duntaxat; per fidem scilicet, piumque affectum.

Obser-

Obserua autem, Caluinistam, hic rursus Eucharistiæ nihilo plus tribuere, quàm vulgari cibo & potui: nam nemo, cui pietas & gratitudo erga Deum non penitus ex animo exciderit, quotidianos quoq; & communes cibos prius manducat, quàm Christũ in cælis regnantem adoret, eique pro concessis donis gratias agat.

S. Augustino iungit Caluinista S. Basilium, libro de Spiritu sancto cap. 27. quem tamen Bellarminus pro adoratione sacramenti lib. 4. de Eucharistia cap. 29. non citat: ideo non immoror. Tandem per πρότερον ὕστερον prodit S. Cyrillus Hierosolymitanus, qui fideles monet, *vt accedant ad calicem & sanguinem Domini proni adorationis in modum & venerationis.* Respondet Caluinista, Cyrillum *non hortari fideles, vt sacramentum, sed vt Christum adorent.* At Christum in Eucharistia præsentem. Quo ipso etiam iubet, vt ipsum sacramentum adoretur; quemadmodum qui iubet, vt regem purpura indutum veneremur, is simul iubet, vt purpuram quoque, tanquam Regis amictum, veneremur.

Tres fraudes, quas Caluinista à Bellarmino commissas fingit, sunt totidem Caluinicolæ mendacia: nam scripta S. Dionysio Areopagitæ adscripta, & Constitutiones Clementis Romani nomine vulgatas in spuriis numerari non debere, ostendunt Vindiciæ Areopagiticæ Delrionis, & tam Græcæ, quàm Latinæ lucubrationes Turriani in Clementem.

Nec attulit Bellarminus vllum patrem, qui locutus tantum sit de Spirituali, & metaphorica, hoc est, Caluiniana, præsentia Christi in Eucharistia; honoreque ei hunc in modum præsenti habendo; sed omnes,

omnes, quos testes produxit, loquuntur de vera & reali Saluatoris nostri in hoc sacramento præsentia, eumque, vt verè & realiter præsentem, adorandum esse tradunt. Nec vllus sanctorum Patrum dixit aut scripsit, Sacramentum hoc ciuili solummodo honore, afficiendum esse; quando tractatur aut suscipitur, vt Caluinicola iste, nimium quantum inciuiliter, comminiscitur. Nam, vt ex omnibus S. Cyrillum paulò ante nominatum, denuò nominem; an is tibi de ciuili duntaxat honore locutus videtur, quando catech. 5. Mystagogica hæc monita auditoribus suis dedit? *Accedens ad communionem, non expansis manuum volis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram, veluti sedem quandam, subiicias dextræ; quæ tātum Regem susceptura est* (en veram & realem præsentiam Christi in Eucharistia) *& concaua manu suscipe corpus Christi, dicens: Amen. Sanctificatis ergo diligenter oculis, tam sancti corporis contactu, communica. Caue autem, ne quid tibi inde excidat; quod enim amiseris, hoc tanquam ex proprio membro amiseris: nam si quis tibi ramenta aurea daret, nonne magna cum diligentia illa teneres, cauens, ne quid ex illis periret, damnumq́ue sustineres? Et non multò magis, & diligentius de hoc, quod auro, gemmisq́ue preciosius est, ne mica aliqua ex illo cadat, prouidebis? Tum verò post communionem corporis Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extendens manus, sed pronus adorationis in modum, & venerationis, dicens; Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis; Et cum adhuc est humiditas in labiis tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra.*

Hæccine de ciuili tantùm honore symbolis Eucharisticis deferendo loquuntur? Nam quod Calui-

nicola iterum *artolatria* nos postulat; surda aure, tanquam criminationem, præteruolamus. Si autem, vt dicis, *sola natura Deitatis adoranda est*; quomodo tu toties iam affirmasti, Christum Dominum, etiam vt hominem, seu secundum humanam naturam, adorandum esse? An posthac militare statuisti in castris Danæi, qui blasphemum suum os tam lato rictu diducere non erubuit, vt palam dictitarit & scriptitarit; *Christum Dominum, secundum naturam humanam non esse adorandum?*

CAPVT X.

De Eleuatione & ostensione Eucharistiæ.

SIcut antea pleraque, quæ de adoratione sacramenti Sacramentarius effutiuerat, ex sua Rhapsodia Historiæ Sacramentariæ transcripsit; ita & nunc ex eadem farragine huncquoq; suum centonem farcit, & quæ prius de Venerabilis Eucharistiæ priuata deportatione ad ædes priuatas, deque eiusdem eleuatione & ostensione garriuerat, nunc denuo repetit; mentiturque effronte vultu, in ipso Iure Pontificio de Consecratione Distinct. 2. ca. *Tribus gradibus* prohibitum esse, *morem domum deportandi & asseruandi Eucharistiam.* Nam quod ad deportationem attinet, nullum penitus in eo Canone, qui ex Epistola secunda Clementis Romani, desumptus est, verbulum exstat; siue per deportationem eam intelligas, quæ fit per Ministros Ecclesiæ ad ægrotos, lectoq; affixos; nam hæc in Ecclesia Dei semper vsitata fuit, & semper etiam vsurpabitur; siue illam intelligas, qua priuati quique Eucharistiam secum

cum domum deferebant, vt eam, data commoda occasione, sumerent; vel etiam, tutelæ & præsidij caussa, retinerét; vt ex Tertulliano lib. 2. ad vxorem, aliisque priscis Patribus manifestũ est; & perspicuè id docent exempla Satyri, Gorgoniæ, & aliorum, de quibus Bellarminus lib. 4. de Eucharistia, cap. 4. nam si hæc à Clemente Romano, tali ac tanto Pontifice, vetita fuisset, nemo vtiq; tanti Martyris mandato obsistendũ censuisset, posterioribus tamen sæculis, decrescéte mortalium pietate, non iniuria hęc consuetudo abrogata est, vt ostendit Bellarmin. loc. cit. c. 5.

De asseruatione Sacramenti postea fusius agetur. Hic tantùm moneo; Caluinistam Canonem ex Clemente decurtasse, more sui Magistri, scripturas mutilantis, quãdo cum Christo in pinnaculo Templi Hierosolymitani disputabat: nam si paucula quædam verbula Canonis adiecisset, iam mendacium suum de interdicto asseruandæ Eucharistiæ, nimis clara in luce omnibus conspicuum collocasset. Ita enim Canon. *Tribus gradibus commissa sunt sacramenta diuinorum secretorum, id est, Presbytero, Diacono, & Ministro*; hoc est, vt aliqui explicant, Subdiacono: *qui cum timore & tremore reliquias fragmentorum Corporis Dominici custodire debent.* Et in Epistola ipsa additur caussa, cur corpus Domini tam diligenter custodiri debeat. *Ne qua putredo in sacrario inueniatur, ne cùm negligenter agitur, portioni corporis Domini grauis inferatur iniuria.* Quid apertius pro asseruatione Eucharistiæ?

Nec obstant sequentia verba Canonis. *Tanta in altario certè holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant: quod si remanserint, in crastinum non reseruentur, sed cum timore & tremore, clericorum diligentia consumãtur.*

 tur.

tur. Iam enim Nouatoribus respondit Bellarminus loc. cit. hūc locum intelligi debere, exceptis his partibus, quæ seruandæ erant pro communione infirmorum; nolebat enim nimis multum Eucharistiæ conseruari.

Hesychium vel Isichium imperitè facit Caluinianus discipulum S. Gregorij Nazianzeni, cùm vixerit temporibus S. Gregorij Magni, vt rectè ostēdit Bellarminus lib. 2. de Eucharist. cap. 32. qui quod lib. 2. in Leuiticum cap. 8. dicit; id, quod ex sacramento Eucharistiæ superest, comburi debere, intelligendum est, de illis partibus, quæ ob vel putrefactionem diuturnitate temporis cōtractam, vel aliam ob caussam, manducari nequeunt, vt ex ipso Hesychio Bellarminus manifestè docet lib. 4. de Eucharistia cap. 5.

Ad eleuationem sacramenti quod attinet, de ea sanè illustrissimum testimonium suppeditat nobis S. Dionysius Areopagita lib. de Ecclesiastica Hierarchia, cuius en tibi verba ex cap. 3. καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, καὶ ὑπ' ὄψιν ἄγει τὰ ὑμνημένα διὰ τῶν ἱερῶς προκειμένων συμβόλων, καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, εἰς κοινωνίαν αὐτῶν ἱερὰν αὐτός τε ἔρχεται, καὶ τοὺς ἄλλους προτρέπεται. Quorum verborum partem Caluinianus flagitiosissimè vertit, vel potius peruertit. *Sancta diuina opera Pontifex postquam celebrauit, administrat diuinißima, & sub aspectum producit ea, quæ celebrauit per sanctè proposita symbola.*

Versioni peruersæ adiungit explicationem longè peruersiorem. *Beneficia Christi, quæ prius per vocalem prædicationem, auribus Ecclesiæ percipienda annunciauit, nunc etiam repræsentat, & oculis quodammodo spectanda subiicit, per visibilia eorundem symbola, idem significantia,*

tia, promittentia, & confirmantia fidelibus quod significant verba Euangelicæ promissionis. Eadem beneficia nomine Christi promittit credentibus per verbum & Sacramenta.

O technas Caluinianas, non alio animo, quàm veritati obnubilandæ excogitatas: Certissimum n. est, ex singulis ferè apicibus verborum D. Dionysij, eum Liturgiæ, seu, vt nos appellamus, Missæ Formulam percensere; & postea cæremoniarum in ea vsitatarum explicationem adferre. Inter cætera autem, quæ in hac Liturgia fiunt, est etiam grata commemoratio beneficiorum, quæ Christus Dominus in nos contulit, præsertim illius, quod hominibus impertiuit in vltima cœna, in qua Eucharistiæ sacramentum instituit: cum hoc mandato: *Hoc facite in meam commemorationem*, animo recolentes cum alia à me vobis pręstita beneficia, tũ præcipuè hoc, q. iam iam vobis præstiti; & illud, quòd paulò pòst in ara Crucis præstiturus sum. Hanc ergo beneficiorum & sacrificij incruenti in vltima cœna, & cruenti in cruce replicationem seu commemorationem, quam facit in Liturgia Antistes, indicat S. Dionysius illis verbis: καὶ τὰς ἱερὰς θεουργίας ὁ ἱεράρχης ὑμνήσας, *postquam Hierarcha, seu Pontifex, seu sacerdos Liturgiam celebrans grata mente & debita cum laude Dei, reuoluit diuina Christi in nos opera* (vt fit etiam in Liturgia seu Missa Latina, vbi sacerdos proximè ante consecrationem his verbis vtitur: *Qui pridiè, quàm pateretur, accepit in sacras ac venerabiles manus suas, &c.*) tunc Hierarcha ἱερουργεῖ τὰ θειότατα, *sacrificat*, seu *cõficit diuinissima mysteria*, q. panẽ & vinũ cõsecrat, & consecrando in corpus & sanguinem Christi conuertit: & *per symbola proposita*, hoc est, p species panis & vini, *aspectui subij-*

cit ea, pro laudibus prosecutus fuerat; hoc est, corpus & sanguinem Domini; & ostensis diuinarum operationum *muneribus*, hoc est, ostensis speciebus panis & vini, *tam ipse ad communionem accedit, quàm alios ad eandem inuitat.*

Quid est illud: ὑπ' ὄψιν ἄγει, *aspectui subijcit*; nisi, *ostēdit, monstrat*; hoc est, eleuat; quia eleuatio nihil aliud est, quā ostensio & monstratio; & ipse S. Dionysius per voculam ἀναδείξας, *ostendens, demonstrans*, satis ostendit & demonstrat, quid per illud ὑπ' ὄψιν ἄγει intelligi velit.

Occlamat Caluinista: Illud ὑπ' ὄψιν ἄγει, non *ad symbola tantum, sed præcipuè ad significata referri.* Esto: verùm non ad significata, quæ tu fingis, sed ad illa, quæ veritas, & cum veritate S. Dionysius symbolis illis subijcit: nempe ad corpus & sanguinem Dñi nostri Iesu Christi. Quæris. Quæ nam sint illa ὑμνημένα, hoc est, laudibus à Pontifice decantata? Respondes: *Non certè alia quàm* θεουργίαι *Christi.* Cæterum ex istis *Theurgiis* vna etiam, & quidem potissima est conuersio panis in corpus, & vini in sanguinem Christi; quæ Theurgia, & diuina operatio fidelibus spectanda in symbolis Eucharisticis proponitur, quoties Hierurgia, seu Liturgia, seu τελετή, vel, vt nos loquimur, Missa celebratur.

Etsi autem Caluinianus iste planè plumbeus est, animaduertit tamen hanc S. Dionysij deprauationem & peruersionem, apertiorem esse, quàm vt in vllius intelligentioris animum illabi posset; Quocirca alteram explicationem addit; nimirum eo tempore consuetudinem fuisse, *vt sacramentum in vno pane integro in mensa poneretur*, (horret Caluinista

sta *altare*) *mundo linteo opertum; donec populo distribueretur.* Esto. Id S. Dionysij verba, eiusque Commentatores S. Maximus & Pachymeres disertè docent. Quid inde infers? *Hanc igitur veteris Ecclesiæ consuetudinem, si diligenter consideres, verba Dionysij clara erunt.* Iam pridem ritum hunc perpendi; qui sanè S. Dionysij verba tam clara mihi efficit, vt nullæ nebulæ Caluinianæ ea mihi obfuscare queant.

Ais. *Commonstrare hoc modo & in conspectum proferre, nihil aliud tum erat, quàm linteo subducto aperire, & præsentium oculis subijcere mysteria.* Etiam eleuatio sacramenti, de qua disceptamus, nihil est aliud, quàm sacramenti commonstratio, & in conspectum prolatio, mysteriorumque apertio & oculis præsentium subiectio. Quid est eleuare, nisi sacramentum ὑπ᾽ ὄψιν ἄγειν, seu vt idem S. Dionysius loquitur, εἰς τὸ ἐμφανὲς ἄγειν *monstrare, ostendere, oculis subijcere?*

Vociferatur Caluinista. *Nihil prorsus Dionysius dicit de ostentatione Eucharistiæ, adorationis caussa.* Tu tibi tuam *ostentationem* habe. Ostensionem nobis relinque. De *ostensione* apertissimè S. Dionysius his verbis, quæ Caluinista nunquam ausus est recitare aut attingere: καὶ τὰς δωρεὰς τῶν θεουργιῶν ὑποδείξας, &c. En ὑπόδειξιν, en ostensionem Sacramenti. Cui ostensioni omnes propemodum Liturgiæ testimonium perhibent, S. Iacobi Apostoli, S. Basilij, S. Chrysostomi, Liturgia Æthiopum, & Mozarabum: Nicolaus Cabasila; Germanus, S. Maximus, & alij Liturgiarum Interpretes, quæ olim non fiebat *dicis* solummodo, sed cultus & adorationis caussa; mirum enim foret si sacramentum, quod S. Dionysius toties

θεῖον imò etiam θειότατον, *diuinum & diuinissimum* appellat, fideles non adorassent; vel illud adorare nefas duxissent.

At cauillatur Caluinista, non posse monstrari ex Dionysio, *sacramenti eleuationem supra capitis verticem*. Scilicet hoc agitur, vt lux sparsis tenebris obscuretur. De ostensione sacramenti quæstio est; siue ea fiat sacramento supra capitis verticem elato; qui mos Latinis receptus statim ab ipsa consecratione; siue supra humerum dextrum, vt fit apud Latinos in Parasceue, quod indies etiam nonnullis vsitatum est, quando diuisa sacrosancta hostia populo apprecãtur illud: *Pax Domini sit semper vobiscũ*: siue alio quopiam modo: Parum enim refert de modo, dummodo constet de reipsa, vt sanè constat: nam quando in Liturgia paulò ante communionem, publicè exclamatur: *Sancta, sanctis:* sacramentum eleuatur & ostenditur; quocumque modo id fiat, neque enim ostensio in sola eleuatione sacramenti supra verticem consistit. Quàm autem sacramento ostenso præsens populus in vota præcesque, & in tanti mysterij adorationem effundi consueuerit; docent cum aliæ Liturgiæ Formulæ, tum præsertim perantiqua illa Æthiopum. *Sacerdos enim eleuans sacramentum alta voce dicit. Domine Iesu Christe miserere nostri, populus iterat eadem verba, &c. Hoc est corpus sanctum, honoratum, & vitale Domini & seruatoris nostri Iesu Christi, quod datum est in remissionem peccatorum, &c. Hic est sanguis Domini nostri Iesu Christi sanctus, honoratus ac viuificans, &c. Verè hoc est corpus, & hic est sanguis Emmanuel Dei nostri, Amen. Credo, credo, credo ex nunc & vsque in sæculum Amen, &c.*

CAPVT

CAPVT XI.

De Asseruatione Eucharistiæ.

CVm vetera mendacia Prædicans à se amoliri nititur, nouis sese miserè contaminat: neque enim alio, quàm Pseudologiæ nomine indigitare licet, quod scribit. *De asseruanda Eucharistia, & ad agros deferenda; ego ne verbum quidem dixi:* cuius ergo sunt illa verba, quibus commemoras, quomodo Romani Episcopi hospitibus Eucharistiam mittere consueuerint; & quomodo Presbyter puero cuidam dederit Eucharistiam ad Serapionem deferendam? Insuper quomodo Exuperius Tolosanus in canistro vimineo, & in vitro portauerit corpus & sanguinem Domini: & quomodo olim etiam, *non tantum mulierculis*, vt tu cauillaris, sed etiam alijs fidelibus domum deportanda data fuerit. Num qui hæc & similia ex Eusebio, Tertulliano, Cypriano, alijsque retulit; nullum verbum de asseruatione & deportatione ad infirmos fecit? Quæso num sine asseruatione & deportatione Eucharistia ad ægros peruenire potuit? Nam quod solennis illa pompa non fuit adhibita; quæ hodie in festo corporis Christi adhibetur; obstitit, partim temporum ratio, tyrannorum imperio, & Ethnicorum furore in Christianos infesta; partim, quia cultus Dei, labentibus annis, crescere potest ac debet: Nam & ante Dauidem nullus penitus aut Pontificum, aut Ducum, Iudicũ & Regum Israeliticorũ tanta pompa & solennitate Arcam detulit & transtulit. Et tamen nemo repertus est, qui Dauidi, & toti illi supplicantium agmini objiceret; nihil vnquam simile anteactis temporibus factum fuisse:

Arcam tanto iubilo & tot reuerentiæ ac honoris argumentis nunquam fuisse loco motam: ac proinde factum Dauidis, tanquam nouum & insuetum, repudiari debere: omnibus cultus ille Arcæ & Deo in Arca exhibitus, gratus fuit, acceptusq; excepta Michol, obtrectatrice & criminatrice Dauidis, quæ mihi typum Caluinianæ & Lutheranæ hæresis gessisse videtur.

Mentitur autem Prædicans, cum dicit *quæstionem esse, num Eucharistia in omnibus templis, seu Ecclesiis olim asseruata fuerit*: non est hæc Quæstio, quia quis tam hebes & rudis est; qui dicat, aut credat in omnibus Templis, aut sacellis olim asseruatam, cum ne hodiè quidem in omnibus asseruetur, vt omnibus orthodoxis constat? Neque Quæstio est, vt iam mentitur Prædicans, *quandónam ædificari cœperint tabernacula illa, quæ hodie passim cernuntur in Ecclesiis, quæ à sacramento Germanicè appellantur* Sacramenthäußlet quasi dicas; *Aediculas sacramenti*; quocunque enim tempore talia tabernacula parari & construi cœpta sint, id parum ad præsentem disputationem facit: quia etiam sine huiusmodi tabernaculis potuit Eucharistia asseruari. Nec tamen firmo aliquo testimonio Caluinista probare valet, huiusmodi tabernacula non nisi post Innocentium III. introducta fuisse: nec illud à mendacio excusabile est: *Ante Innocentij tempora in plerisque locis prorsus non asseruatam fuisse Eucharistiam*. Quo auctore hoc doces Caluinista? Quo teste? Nam vt tu teipsum nobis pro auctore & teste ingeras, haud sinemus.

Quis sensus sit Hesychij, vt quod de Eucharistia reliquũm est, incendatur, iam supra exposuimus; vt

& alia, quæ ex Nicephoro, Euagrio, & Gregorio Turonensi blateras. Nam Eucharistiam pro communione infirmorum, & pro tutela quoque asseruatam fuisse, testantur Canones & exempla Innocentio III. longè vetustiora: de quibus dixi libro 1. de processionibus cap. 19.

Sed tu semper paratum habes tuum *Panchrestum*, & omnia vulnera, quæ tibi infliguntur, sanas vnica panacéa, longè, vt videtur, efficaciore, quàm fuerit decantata illa panacea Amvvaldina. Nam ex Canonibus ais, *non liquere, vbi nam presbyteri Eucharistiã asseruare debuerint; num in Ecclesiis, an in ædibus priuatis.* Item, *non posse inde euinci, Eucharistiam positam fuisse in ædiculis & tabernaculis, prout hodie moris est.* Scilicet hoc agitur; & non illud: Vtrum Eucharistia olim asseruata fuerit. Fuisse testantur Canones apud Gratianum de consecrat. Dist. 2. cap. 161. & cap. 94. Et Canon Concilij Turonensis apud Burchardum, quem ipse Caluinista recitat, quo iubetur, *vt omnis presbyter habeat pixidem aut vas tanto sacramento dignum, vbi corpus Dominicum diligenter recondatur ad viaticum recedentibus à sæculo.*

Constat ergo de asseruatione. Iam quæ cauillandi libido est, obiectare; canones nihil dicere de loco; & nihil de tabernaculis? An sacramentum, nisi in huiusmodi tabernaculis asseruari nequit? Et quis tam obtuso pectore est, qui non è vestigio intelligat, Eucharistiam in loco decentissimo & honorificentissimo, quantum fieri potuit, positam fuisse? Quis autem locus decentior, profanus an sacer? priuata domus an Ecclesia; siue posita Eucharistia fuerit in altari, vel supra altare, vel ad latus altaris, siue in sa-

crario, siue in alio Ecclesiæ loco; siue sub sera & claui, siue sine sera & claui: nam certum est ita Eucharistiam custoditam & munitam fuisse ne qua irreuerentia vel ab impijs hominibus, vel à brutis animantibus ei irrogari posset.

Similibus diuerticulis eludere nititur alia pro asseruatione Eucharistiæ testimonia & exempla: nam si proferas Clementem Romanum, qui lib. 8. constitut. cap. 20. vel 16. iuxta aliam diuisionem, mandat, vt postquam omnes communicarunt, Diaconi portent Eucharistiæ reliquias in *pastophoria*: derepente obstrepet Prædicans, *libros illos Clementis esse Apocryphos*. Sed defensionē Clemētis iam pridē Turrianus suscepit. Et vt næui in illis exstent, an ideò & hic de pastophorijs ex eorum numero vnus?

Secundò occinet; *esse Aedes præpositi Ecclesiæ & eò Eucharistiæ reliquias delatas fuisse, non vt asseruarentur, sed vt consumerentur.* Vnde hoc compertū habet Caluinicola? Profectò nō ex Clemēte; sed ex apocrypho & spurio suo cerebro: nihil n. de cōsumptione Clemens. Et si in ædib⁹ Præpositi Ecclesiæ statim cōsumi debuissent, & nō in vsum infirmorū asseruari, longè commodius in ipsa Ecclesia consumi potuissent. Ad hæc non aduertit Caluinista veram notionem vocabuli *Pastophoria*, quā eo Clemētis loco habet: nā Clemens non loquitur de ædibus Præpositi; sed *Pastophoria* per similitudinem nominat locum illum; in quo Eucharistia asseruabatur, quia per præsentiam Eucharistiæ habitabat in eo loco Christus, tanquam verus & genuinus Ecclesiæ præpositus.

Si proferas exēpla S. Gorgoniæ, S. Satyri & aliorum, qui Eucharistiam in orarijs, arcis & cistis asseruabant,

nabant,& secum domi non modò retinebant, sed & iter facientes pro comite itineris secum deferebant; mox recinet Caluinista: *Esse particularia & paucorum hominum exempla.* At vt id ita esset; hinc tamen intelligimus, olim Eucharistiam asseruatam fuisse, idque non modò nemini vitio datum, sed etiam pro insigni pietatis argumento reputatum esse. Præterea, quod ab istis factum, id ex communi consuetudine æui illius factum esse, ex libro Tertulliani ad vxorem discimus; neque vel Gorgonia, vel Satyrus, vel Satyri in nauigatione sodales Eucharistiam secum tulissent, nisi id ex recepto tunc Christianorum more licuisset.

Protuleram Canonem vndecimum Nicænum ex prima editione Alphonsi Pisani, & 63. ex editione Turriani de asseruanda Eucharistia. Occlamat Prædicans: *Canonem hunc non reperiri apud Ruffinum lib.10.hist.cap.6.* Quid tum? An ideo in Nicænis numerandus non erit? An non dilucidè constat, plures Canones à Concilio Nicæno conditos, quàm Ruffinus suæ historiæ intexuerit? Vbi est Canon de scripturis Canonicis? Vbi Canon de Paschate? Vbi Canon de literis formatis? Vbi Canon de Bigamis non ordinandis? Vbi Canon, vt non nisi à ieiunis sacrificium offeratur? Vbi Canon ille, quo decretum est, vt res cognitæ in minori synodo, in maiore denuò examinari & cognosci possint? De quibus, qui plura cupit, Baronium adeat Tom.3. Anno Redemptoris 325.

Sed quia Canonem ex Ruffino desideras, eosque, quos ipse commemorat, genuinos & legitimos esse confiteris; en tibi Canonem XX. ex Catalogo

Ruffini, ex quo apertè colligitur, quàm verè affirmauerit Concilium Tridentinum seß. 13. cap. 6. asseruationem Eucharistiæ à sæculo quoque Nicænæ Synodi agnitam fuisse. Exporrige ergo aures, Prædicans. *Ne Diaconi Presbyteris præferantur, neue sedeant in consessu Presbyterorum, aut illis præsentibus Eucharistiam diuidant, sed illis agentibus solùm ministrent. Si verò Presbyter nullus sit in præsenti, tunc demum etiam ipsis licere diuidere; aliter verò agentes abiici iubent.* Si ergo in absentia Presbyterorum poterant Diaconi Eucharistiam aliis distribuere; manifestè sequitur, Eucharistiam consueuisse asseruari; nam à Diacono consecrari & confici non poterat. Erat ergo præsens & in promptu Eucharistia, vt etiam, absente Presbytero, à Diaconis administrari posset, si ita necessitas postularet.

Idem non obscurè colligitur ex Canone XIV. qui est iste: *De his verò, qui vita excedunt, pœnitentibus, decernunt, vacuum nullum debere dimitti.* At hoc fieri non poterat, nisi Eucharistia asseruaretur. Quid enim, si quis in periculum mortis incurrisset, absentibus Presbyteris, præsentibus solis Diaconis? Quid si ex improuiso? Quid si intempesta nocte? Quid si extra tempora Liturgiæ celebrandæ præstituta? Quis tam fatuus sit, qui sibi persuadeat, omnes ægrotos potuisse ad Ecclesiam venire, & quidem illo ipso tempore, vel temporis puncto, quo Liturgia peragebatur, & *Sancta sanctis* diuidebantur. Videatur Bellarminus lib. 4. de Eucharist. cap. 4. Prorsus enim stultum ac ridiculum est, quod Caluinista in sua Sacramentaria Rhapsodia deblaterat; *Diaconos, absentibus Presbyteris, potuisse Eucharistiam non modò diuidere; sed*

& consecrare. Crederem, si Eucharistia Catholicorũ vel fuisset vel esset similis Cœnæ Lutheranæ vel Caluinianæ, quam non modò Prædicantes, sed & *Prædicantissa* probè norunt coquere ac instruere.

Nec exiguum flagitium admittit, cum verba S. Laurentij Diaconi ad S. Sixtum Pontificem prolata, prout recitantur à S. Ambrosio lib. 1. Officiorũ cap. 41. ex deprauatis editionibus, præsertim Erasmiana, deprauat: nam pro vocabulo *Dispensationem;* substituit voculam; *Consecrationis:* quasi S. Laurẽtius dixerit; *Experire vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commiseris Dominici sanguinis consecrationem:* cum res ipsa & sententia, & castigatiores editiones deposcãt & præferant: *Dominici sanguinis dispensationem;* Diaconorum enim erat communicantibus *sanguinem Dominicum* administrare; ita vt error ille quorundam Codicum nullo mantelo, ne Caluinistico quidem, obtegi queat.

Nec te iuuat Concilij Ancyrani caput secundum, vbi iubetur, vt Diaconi in Idololatriam lapsi, ab omni sacro ministerio cessent, ita *vt nec panem, nec calicem offerant;* quia offerre hic non est *consecrare,* sed panem & calicem fidelibus sumenda porrigere: nam calicem quidem ordinariè, corpus autem saltem absentibus Presbyteris Diaconi distribuere poterant. Idem respondeo ad dictum Iustiniani ex Nouella *de diuersis Capitulis.*

Alterum Canonem Concilij Nicæni Caluinista simpliciter reiicit: & caussam addit; quod non exstet apud Ruffinum. At exstat in omnibus editionibus Concilij Nicæni, in quibus decimotertio loco legitur iste Canon. *De iis, qui excedunt, antiqua & Canonica*

lex

lex nunc quoque seruabitur, vt si quis vita excedat, vltimo & maximè necessario viatico ne priuetur. Idem prorsus Canon in compendium redactus recitatur à Ruffino, & quidem loco decimoquarto. *De his verò, qui vita excedunt, pænitentibus, decernunt* (nempe Patres synodi Nicænæ) *vacuum nullum debere dimitti.* Quæso, quid verba hæc Ruffiniana sensu à prioribus diuertunt? Sed de his satis: nam quæ præterea garrit de Iustino Martyre, & Exuperio Tolosano, plena sunt insipientiæ: scilicet ex cœna, Caluinianum in morem, publico in cœtu instituta, mittebatur ægris frustillum panis, & pocillum vini; quemadmodum Germani ex conuiuiis paulò lautioribus, sibi mutuò, amicitiæ & beneuolentiæ testandæ caussa, portiones aliquas missitare solent.

CAPVT XII.

De Bulla Vrbani IV. qua Festum Corporis Christi indictum & promulgatum fuit; & num processio in ea contineatur; & de cometa, qui apparuit ante obitum Vrbani Pontificis.



Lossa in Clementina vnica de Reliquiis & Veneratione Sanctorum ita scribit: *Quia Constitutio Vrbani non fuit recepta ab omnibus, ideo Clemens Papa Quintus, innouauit illam Constitutionem, & illam præcepit ab omnibus obseruari.* Hæc Glossa. Ex cuius verbis Hospinianus calumniandi ansam arripiens, dixerat, *ne ipsis quidem Ponti-*

Pontificiis huius Festi institutionem & promulgationẽ placuisse. Respondi; istud, ex Glossæ dicto euinci non posse;ideo enim Constitutionem Vrbani IV.à nonnullis non fuisse receptam,quòd ad eorum notitiam non peruenisset;non autem, quod Festi huius institutionem *superfluam, inutilem,* vel *profanam* existimarent,quam eorum fuisse mentem,satis apertè Caluinista innuit: sed prorsus Caluinisticè, hoc est, *impostoriè:* neque enim verè & sincerè Catholicus censeri potuisset, cui hæc tam impia persuasio animo sedisset: Quis enim ex rectè sentientium numero est,qui toto pectore & ore non fateatur,venerabile hoc Sacramentum,& Christum in eo præsentem,non tantum isto, in huius diei obseruatione posito cultu; sed & alia quacunq; veneratione longè dignissimũ esse; seque ipso ad honorem debitum exhibendum excitet odario illo S. Thomæ Aquinatis? *Quantum potes, tantum aude, quia maior omni laude, nec laudare sufficis.*

Oggerit Caluinista. *Quod tam districtè præcipitur obseruatio huius Festi à Clemente, satis magno indicio est, id non ab omnibus receptum, vel saltem negligenter, vt non admodum necessarium; obseruatum esse.* Perinde ac si diceret Caluinista. Synodus Tridentina sess. 13. cap. 5. & Can. 6. longè adhuc districtius & seuerius præcipit annuam obseruationem huius solennitatis, anathema enim dicit, omnibus illis, qui docent, Christum in *sancto Eucharistiæ sacramento festiua peculiari celebritate non esse venerandum, neque in processionibus, secundum laudabilem & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, solenniter circum gestandum, nec publicè, vt adoretur, populo proponendum.* En quam graui de-

creto synodus celebritatem istam sanciat. An ideo concludes: *Ante Concilium Tridentinum in Ecclesia Catholica hoc Festum non fuisse vbique receptum?* Cur ergo Concilium de integro festum hoc indixit & sanxit? Non quia non fuerat receptum, sed quia impiè & sacrilegè à Nouatorum perfidia in nonnullis locis fuerat abrogatum: & quia, vt idololatricum, ab iisdem clam palàm, dictisq; & scriptis scelerate oppugnabatur. Quæ fortassis caussa, ipsi etiam Clementi V. Constitutionis de hoc Festo renouandæ occasionem dedit; quia tūc Caluinianorum ataui Albigenses, Waldenses, & Berengarianorū haud pauci, multorum corda Sacramētario suo veneno infecerant; & à cultu augustissimi huius sacramenti auerterant. Mitto dicere Clementem in Concilio Generali Viennensi hanc constitutionem instaurare voluisse, vt maius auctoritatis pondus acquireret; quandoquidem non defuêre, illis præsertim temporibus, qui sanctionibus à Pontifice & OEcumenica synodo profectis plus tribuerint, quàm quæ à solo Pontifice manassent; Rectè an secus, non disputo. De re & multorum tunc persuasione liquet.

Dixeram, in opere de Processionibus, aliquando renouari Constitutiones, non quòd vsu receptæ non fuerint, sed vt earum obseruatio retineatur, vel diligentius custodiatur; id forsan & hîc accidisse. Quæ responsio tantopere Hospiniano probata est, vt ipse eam commemorādam, & de hac huius Constitutionis Clementinę innouatione sciscitanti, reddendam censuerit, vt testatur Caluinistæ verba, quæ supra recitaui; & hîc repeto. Dicit enim; tam seueram Clementis præceptionem testari; Festum hoc,

saltem

saltem negligenter, vt non admodum necessarium, obseruatum esse. Non diffiteor, per negligentiam sæpius dari legislatoribus occasionem, vt vetera edicta, promulgatione & iussione noua, renouent.

Nec quisquam dicit, Festum hoc simpliciter esse necessarium, quandoquidem sine illo tot annis Ecclesia Dei durauit; at si quis exstitisset, qui post Pontificis promulgationem & mandatum, hanc celebritatem non admodum necessariam existimasset, is certè largiter errasset; quandoquidem ea est natura rerum, alioqui liberarum, vt quando à legitimo Magistratu imperantur, necessitatem quandam imponant, atque adeo necessariæ fiant. Quod si qui siue ex simplicitate, siue ex hæreticorum peruersa institutione, in hanc opinionem venissent, haud abs re Clemens V. instauratione huius sanctionis eos in rectam viam reducere tentasset.

Cæterum Caluinista acrius nunc instat & vrget, postquam vidit libellum Diestemij Anno Christi M. DC. III. Duaci cum magno Speculo Exemplorum euulgatum, & Anno 1496. conscriptum, si tamen vidit, & non potius, quidquid huius Auctoris citat, ex Serarij de Processionibus libro exscripsit. Quid igitur iste libellus? Solam Leodiensem Ecclesiam & Diœcesin Bullæ Vrbani IV. morem gessisse, & solennitatem Corporis Christi celebrasse. Omnes autem alias Ecclesias obsequium detrectasse vsque ad Tempora Ioannis 22. Papæ, & ab hoc demũ tempore festum istud cum Processione ab omnibus Ecclesiis obitum esse. Graue testimonium; quod tamen credibile est huic Auctori extortum nimio amore in Ecclesiam Leodiensem, cuius erga Vrba-

num IV. olim huius Ecclesiæ Archidiaconum, obseruantiam singularem, & præ cæteris omnibus parendi studium, hunc in modum commendare studuerit. Quis enim sibi persuadeat, nullás, præter Leodiensem, Ecclesias, summo pastori ad rem tam piam & salutarem suscipiendam, subditos, auctoritate Pontificia, commonefacienti, obtemperasse. Non ipsas Ecclesias Italicas. Non ipsam Vrbeuetanam? In hac enim hoc Festum ab Vrbano institutum esse, scribit ad Platinam Onuphrius.

Vidit hunc nodum ipsemet Diestemius; itaq; Articulo decimo sui libelli eum soluere tentauit; nescio tamen num soluerit. Accipe eius verba: *Posset quærere aliquis: cùm dicatur in superioribus, quod ante tempus Domini Ioannis Papæ XXII. nullibi celebrabatur de institutione venerabilis Sacramenti festum, præterquam in Diœcesi Leodiensi, quomodo non saltem in Romana Ecclesia solennizabatur, cum id Papa de cõsensu Cardinalium mandasset. Respondetur, quòd Papa Vrbanus IV. in Pontificatu Apostolico sedit duntaxat annis tribus, mense vno, diebus septem, & Epistola missa Dominæ Euæ scripta est Anno Põtificatus sui Quarto, VI. Idus Septembris, ac per hoc in fine vitæ eius, & sic eo mortuo, omnis eius iussio mortua cum eo videbatur, cũ executio nulla ante eius obitum facta fuisset.* Hæc Diestemius.

Quæ non videntur satisfacere; nam licet Vrbanus sub postremum vitæ suæ tempus ad Euam scripserit, non tamen sequitur, Festum corporis Christi non fuisse citius institutum ac promulgatum; imo ante datam illam epistolam institutum & passim indictum promulgatumque fuisse, planum apertumque fit ex illis ipsis literis Vrbani, prout Articulo 8. à

Dieste-

Diestemio recitantur; dicit enim Pontifex, se literas institutionis *per vniuersum orbem direxisse:* qui mox istâ subiungit. *Et scias, quod nos huiusmodi Festum cum omnibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, nec non cum omnibus Archiepiscopis & Episcopis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis tunc apud Apostolicam Sedem commorantibus (ad hoc, vt videntibus & audientibus de tanti festi celebritate salubre præberetur exemplum) duximus celebrandum.*

Ex quibus dilucidè apparet, Festum hoc non modò satis diu ante missas ad Euam literas institutum, sed & reipsâ solenniter ab Vrbano celebratum fuisse; vt quotquot tunc in Curia degebant, exemplum huius festi colendi inde sumerent. Quocirca licet Vrbanus post literas ad Euam scriptas, vix mensem vnum superuixerit, non tamen necesse erat, vt cum moriente constitutio de hoc festo intermoreretur, cum iam, vt testatur ipsemet Vrbanus; literæ Apostolicæ de festi huius institutione quoquo versus missæ, & in omnes Christiani orbis partes dispersæ fuerint.

Denique, licet verum esset, quod Ioannes Diestemius scriptum reliquit, non tamen ideò Caluinianus à mendacio liber euaderet: quia apertè indicauit, festũ hoc *eam ob caussam ab Ecclesiis reiectum esse, quod illud, si non omninò friuolum & vanum; at certè inutile ac superuacuum existimarent; quasi de cultu & veneratione huius sacramenti non sensissent id quod hodie orthodoxi sentiunt.* Quod à veritate alienissimum esse aio. Genebrardus te parum iuuat. Nam quod ex Chronicis Bossij memorat; hæc ad circumgestationem Sacramenti, etiam extra Corporis Christi

 solen-

solenne vsurpatam, prout hoc quoque æuo alicubi vsurpatur,) referri potest. Quid, quod ipsemet Caluinista in Farragine sua sacramentaria, ex eo, quòd Genebrardus in sua Chronologia scribit, proprium & distinctum festum procudit? Nam postquã de festo corporis Christi, & circumgestatione Eucharistiæ in ea adhiberi consueta, non paucas Pseudologias & lœdorias effutiuisset, tandem facta noua Epigraphe, & quidem grandioribus literis, DE LVSTRATIONE SACRAMENTI; ex Genebrardo, tanquam de peculiari solennitate scribere ingreditur.

Negat Hospinianus, *Processionem corporis Christi & sacramenti circumgestationem ab Vrbano IV. institutam esse.* O malè & inconsideratè factum; quia si Vrbanus huic festo processionem & circumgestationem venerabilis sacramenti adiecisset, iam Caluinicola iste cum suis in Zvvinglianis vinetis seu potius spinetis, *collaboratoribus*, festum corporis Christi omnibus locis vnde expulsum est, restitueret, & ipse forsan nudipes, supplicationem hanc obire non refugeret. Nunc cũ ista à posterioribus Pontificibus accesserint, nauseat Prædicans, festumque vna cum vniuersis ritibus repudiat. Etsi autem scio, etiam ex Catholicis esse qui processionem ad Ioannem XXII. velut ad Auctorem reuocent; mihi tamen, vt antea in libro de Processionibus, ita & nunc vero propius videtur, Vrbanum IV. Festum hoc non sine processione & sacramenti circumgestatione instituisse & indixisse. Rationes sententiæ meæ exposui in opere de processionibus. Contra quas quidquid Caluinista vociferatur, id tandem huc recidit.

Vocabu-

Vocabula processionis & circumgestationis nõ comparent in Bulla Vrbani IV. ergo Vrbanus IV. non est auctor processionis & circumgestationis. Item. *Vrbanus IV. in sua constitutione non mandat, vt hostia per octo dies Monstrantiæ inclusa populo monstretur; ergo hoc fit contra primæuam huius festi institutionem.*

Verumenimuero fatuum & funginum est, vocabula requirere, vbi res ipsa in promptu est: vt sanè est in Bulla Vrbani IV. si quis mentem aduertere velit, quemadmodum in opere de processionibus demonstraui: nam inter cæteras caussas, quibus Pontifex impulsus, Festiuitatem hanc indixit, hæc quoque vna fuit; & quidem specialis, vt hæreticorum perfidia & insania confundatur; hinc statuit, vt in ipsa quinta feria post octauam Pẽtecostes *turbæ fidelium ad Ecclesias affectuosè concurrant & tam clerici, quàm populi gaudentes in cântica laudum surgant: ita vt omnium corda & vota, ora & labia, hymnos persoluant lætitiæ singularis, fidesq́ tunc psallat, spes tripudiet, exultet charitas, deuotio plaudat, iubilet chorus, puritas iucundetur.* At hoc potissimum fit in processione & circumgestatione sacramenti; neque est ad hæc etiam præstanda aptius & conuenientius medium quàm processio & venerabilis sacramenti circumgestatio: nã tunc Hæretici velint, nolint, pompã sacram, & publicam confessionem orthodoxæ fidei palam spectare vel audire, coguntur, non sine animi cruciatu, dum quod ipsi impiè & blasphemè aspernantur; tanto honore & cultu palam à fidelibus affici conspiciunt; qui si omnia intra templorum spatia duntaxat peragerentur; haud tanto rubore perfunderentur, quia ab aditu Ecclesiarum abstinere, & se

domi

domi suæ continere possent. Nunc cum cultus iste augustissimo sacramento dedicatus, per plateas & compita vrbium & oppidorum summa cum celebritate & populi frequentia omnium oculis subijciatur, necesse est, vt hæreticus videat, & irascatur, dentibusque suis fremat, & tabescat.

Quid insuper accommodatius est ad pietatem plebis excitandam, hymnosque diuinæ in mortalium genus clementiæ alacriter decantandos, quàm si sacratissima hostia, octo illis diebus, huic solennitati consecratis, oculis fidelium pateat; vt tantum mysterium non modò mente recolant; sed & ipso visu vsurpent?

Cæterum de hoc ipso festo pulchrè admodum & piè scribit synodus Tridentina sess. 13. cap. 5. cuius verba cum Vrbani Papæ dictis concinnè concinnentia in gratiam sectariorum huc transscribere lubet: *Declarat præterea sancta synodus, piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam, & festo die præcelsum hoc, & venerabile sacramentum singulari veneratione, ac solennitate celebraretur; vtque in processionibus reuerenter, & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur, Aequissimum est enim sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari, ac rara quadam significatione, grates & memores testentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria, & triumphus repræsentatur. Atque sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere: vt eius aduersarij in conspectu tanti splendoris, & in tanta vniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant*

ſcant vel pudore affecti & confuſi, aliquando reſipiſcant. Hæc ſynodus Tridentina.

Quàm auté latè hæreſeos venenum temporibus Vrbani IV. ſerpſerit, perſpicuum fit ex alia quadam Vrbani IV. conſtitutione, qua per Lombardiam & Marchiam inquiſitores hæreticæ prauitatis inſtituit. Extat in Magno Bullario Romæ excuſo.

Quæ Caluinianus de communoine ſub vtraque ſpecie ingerit, ea protrita ſunt Prædicantium pulpamenta. Vix eſt vllum in omnibus controuerſijs caput, in quo mendaciloquentiæ ſuæ Prædicantes liberius habenas laxent. Hinc non ita pridem Lutheranus quidam Logodulus, non procul hinc, in hanc diſceptationem ingreſſus, auſus eſt contralijs audientibus, tum præſente clariſſimo quodam Ingolſtadienſis Academiæ Profeſſore, palam iactare, *ſe ad Papiſtas tranſiturum, ſi vel vnus ſcriptor produceretur, cuius teſtimonio conſtaret, Euchariſtiam ſub vna duntaxat ſpecie laicis ante Concilium Conſtantienſe datam eſſe*: ſed en loco vnius ſenos; idque ex tempore; nam ſi biſſenos vel bis biſſenos velit, non erimus in mora: Conſtantienſe concilium inchoatū eſt Anno Domini 1415. Anno MCCCLVII. obijt Thomas Argentinenſis; Is lib. 4. ſentent. diſt. 11. quæſt. 2. art. 3. ſcribit; *Communi populo ſecundum conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ veritas corporis & ſanguinis datur tantummodò ſub ſpecie panis: & hoc, propter vitandum periculum effuſionis.*

Anno MCCC. floruit Nicolaus de Lyra; qui in caput VI. Ioann. *Prouidè ordinatum eſt*, ait, *vt populus non communicet ſub ſpecie vini, propter periculum effuſionis.*

O S. Bona-

S. Bonauentura obijt in Concilio Lugdunensi anno M. CC.LXXIV. Is, in lib. 4. sentent. dist. 11. part. 2. art. 1. q. 2. *Nec oportet*, inquit, *quod fideles recipiant vtramq; speciem, propter periculū effusionis & erroris, quia, non crederent simplices in altera specie totum se Christum recipere.*

Alexander Alensis, præceptor S. Bonauenturæ, parte 4. memb. 2. a. 4. §. 3. *Quia Christus, ait, integrè sumitur sub vtraq; specie, benè licet sumere corpus Christi sub specie panis tantū sicut ferè vbiq; fit à laicis in Ecclesia.*

S. Thomas Aquinas obijt anno M. CC. LXX. IV. adeoq; annis LXLI. ante Concilium Constantiense; in Opusculo de sacramento Altaris cap. 29. quærit; *Quare populus non accipit sanguinem sub specie vini, sicut sacerdos? Huius triplex est ratio, &c.*

Rodulphus Abbas de S. Trudone, qui floruit CCC. annis ante Concilium Constantiense; de hoc Sacramento canit:

Hic & ibi cautela fuit, ne Presbyter ægris,
Aut sanis tribuat laicis de sanguine Christi?
Namq; potest fundi leuiter, simplexq; putaret,
Quod non sub specie Iesus sit totus vtraq;.

Quid restat, nisi vt Prædicans ille dictis manens promissa exsoluat; & Dulologus esse desinat: quod optare magis, quàm sperare licet; quia qua mente & religione plerunque talia pollicentur, eadem quoque pollicitis satisfaciunt.

Verùm, vt ad Caluinianum Cauponem reuertar, valdè mihi probatur quamuis verbosus, subtilis tamen, quem architectatus est, syllogismus: quem si circumcidere nonnihil, & in summam redigere velis,

velis, hoc schemate prodire videbis. *Omnia sacramenta veteris & noui Testamenti consistunt in actione. Eucharistia est sacramentum. Ergo Eucharistia consistit in actione.* Tolle igitur à cœna δόσιν & λῆψιν, *dationem* & *sumptionem*, & *non habebit veram rationem sacramenti.* Subtiliter. Cui tamen hoc vnum deesse video, quod propositio Maior non probatur; nisi fortè probationis vicem supplet, quod ais: Christus dixit: *Accipite & comedite. Sed dare, accipere & comedere sunt actiones: Eucharistia igitur in actione consistit.* Iterum acutè: nisi igitur Apostoli accepissent & comedissent, verba Christi; *Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus*: falsa fuissent, & ita in Apostolorum potestate erat, verba veritatis efficere falsa, quia potuissent non accipere: Si ante sumptionem & manducationem Christus verè de eo, quod dabat, affirmauit; *hoc est corpus meum; & hic est sanguis meus*; verè ergo ante sumptionem sacramentum erat; hoc est, practicum signum spiritualis nutrimenti & refectionis.

Phantasma illud inanismum, quod Cometa ante obitum Vrbani Papæ visus, institutionem huius festi portenderit, refutaui in opere de Processionibus. Quod tamen Caluinista denuo nobis ingerit, addito de Cometarum significatione non modico auctario, tempestiuè scilicet. Sed nosse debebat inscitus Prædicans, stellas crinitas non tantum infausta, sed & aliquando fausta nunciare; teste Origene l. 4. contra Celsum, vbi ait, *legimus in Charemonis Stoici commentario, quem de cometis conscripsit, quomodo interdum etiam res bonas futuras exorti cometa præsignauerint*

uerint, idque declarat exemplis petitis ex historiis. Certè si quis cometa alicuius Papæ supremum diem præmonstraret, minus id quiuis de Caluini schola pro sinistro omine duceret, quàm si talis stella mortem principis Turcarum denuntiaret. Licet igitur stella illa, quæ tempore Vrbani IV. apparuit, festum corporis Christi præsignificasset, non illico colligere liceret, festum hoc mundo, tanquam summum malum, inuectum esse. Nam & stella, quæ Christo nato exstitit, *noua fuit, nec ulli è notis illis similis, quæ vel in firmamento sunt, vel in orbibus inferioribus; sed eius generis, quales cometæ visuntur temporanei, Docides, Pogoniæ, Pithi, aut quomodocunq; libet Græcis variis nominibus signare horum differentes figuras;* vt scribit loco cit. Origenes; & tamen præter Celsum & Celsistas, nemo tam impius erit, qui stellam illam signum infortunatæ rei fuisse dicat.

Adhæc qua fronte, nisi Caluiniana, asseuerat Hospinianus, Cometam istum prænunciasse institutionem huius festi tanquam rem Ecclesiæ perniciosam, cũ probare nequeat stellam hanc prius illuxisse, quàm Vrbanus IV. festum corporis Christi lege lata sanciret, ac promulgaret? Nam Cometa iste apparuit Anno 1264. Et in Italia primum visus est 6. Kalendas Augusti, hoc est, 27. die Iulij; licet in Gallijs citius visus fuerit nempe 16. Kalend. Augusti, hoc est, 17. die Iulij, vt scribit, qui tunc viuebat, Thierricus Vallicolor, in libello quem ligata oratione de rebus gestis Vrbani IV. edidit, ad Antherum, tituli sanctæ Praxedis Presbyterum Cardinalem, nepotem Vrbani IV. quod opusculum Historiæ Pontificum inseruit Papyrius Massonus, luxitque

xitque hæc stella in Italia 70.dies, vt idem Thierricus testatur, hoc est, duos dies vltra obitum Vrbani; qui excessit altero die mensis Octobris. Si igitur Caluinista nobis persuadere cupit, Cometam hunc fuisse infaustum argumentum solennitatis huius instituendæ, necesse erit, vt probet, Vrbanum festum hoc instituisse, nō nisi intra 70. dierum illorum spatium, quo stella hæc apparuit. Nam si prius instituit; Cometa subsequens non potuit eius, tanquam mali futuri, indicium esse; neque enim cometæ præterita, sed futura portendere ac nunciare censentur, vt liquet ex illis ipsis Auctorum testimoniis, quæ Hospinianus produxit. At vnde, vel cuius auctoritate hoc nobis Caluinista probatum dabit? Instituit quidem Vrbanus Festum Corporis Christi Anno tertio & vltimo sui Pontificatus, vt idem Thierricus scribit, hoc est, Anno Redemptoris M.C C. L X I V. sed quod ante exortum Cometæ non instituerit, hoc nimirum est, quod Hæreticus quidem affirmabit, nunq̃ autem demonstrabit. Nam probabile est, Vrbanū Pontificem celebrasse Festū Corporis Christi ipsa Feria Quinta post festum SS. Trinitatis; constat enim ex literis ad Euam *Ascetriam* datis, Pontificem hoc Festum non tantùm instituisse & indixisse, sed etiam summa Pompa cum tota sua Curia celebrasse, vt Ecclesia Principalis cæteris exemplo anteiret.

Adde, quod qui tum vitam agebant, longè melius sciuerint, cuius rei hic cometa signū esset, quàm tot annis pòst, Turegiensis Caluinista. Audi Thierricum.

Post hæc dicenda sunt stellæ signa comatæ,
Quæ mortem tanti nos docuère viri.

Eius enim morbum monstrauit visio, mortem
Defectus sicut tempora certa probant, &c.
Apparente quidem prædicta luce cometa,
Inuasit Dominum continuando dolor, &c.
Quo moriente, velut mortem cognosceret eius,
Apparens minimè stella comata fuit.
Vnde putet rectè Dominum regnasse, tacere
Cuius tot signa non potuere necem.

Et hæc hactenus.

CAPVT XIII.

De pietate veterum Vngarorum in obseruandis diebus Dominicis, aliisq; festis.

DE obseruantia veterum Regum ac Principum in diem Dominicum & alia festa, dixi & scripsi passim in Opere de Festis, præsertim lib. 1. cap. 13. vbi Regum & Principum quorundam Leges nonnullas de celebrãdo die Dominico recitaui. Interea incidi in similia statuta & edicta Regum potentissimę Hungaricæ nationis, quorum catalogũ hic texere operæpretium visum est, vt videant hodierni Vngari, qui Luthero, vel Caluino, vel Serueto sese addixerunt, quàm longè à maiorum suorum semita auij abeant. Nec debet hoc intempestiuum videri, cum lucubratio ista, quam nunc euulgámus, nihil aliud sit, quàm Librorum de Festis *Mantissa*, & *Auctarium*.

De Dominica igitur die hanc legem tulit sanctissimus Rex Stephanus lib. 2. Decretorum cap. 7. *Si quis Presbyter, vel Comes, siue aliqua alia persona fidelis, die Domi-*

*Dominica inuenerit quemlibet laborantem, abigatur: si verò cum bobus, tollatur sibi bos, & ciuibus ad manducandum detur. Si autem cum equis, tollatur equus, quem Dominus boue redimat, si velit, & idem bos manducetur, vt dictum est. Si qui aliis instrumentis, tollantur instrumenta & vestimenta; quæ, si velit, * cum cute redimat.* *mit der Haut bezahlen.

Mox cap. 8. *A Sacerdotibus verò & Comitibus commendetur omnibus villicis, ita vt ipsorum iussu omnes concurrant die Dominica ad Ecclesiam, maiores & minores, viri & mulieres, exceptis illis, qui ignes custodiant. Si quis verò obstinatus remanebit, propter illorum negligentiam vapulent, & depilentur.*

Quantæ verò pietatis testimonium est hæc lex, quæ cap. 18. exstat. *Si qui ad Ecclesiam venientes, ad audiendum diuinũ officium, & ibidem hora solennitatis missarum inter se murmurant, & cæteros inquietant, exponentes fabulas ociosas, & non intendentes diuinas lectiones, cũ Ecclesiastico nutrimento: si maiores sunt, increpati cum dedecore expellantur de Ecclesia: si verò minores, & vulgares, in atrio Ecclesiæ, pro tanta temeritate, coram omnibus ligentur, & corripiantur flagellis.*

Nec minus pias eadem de re leges tulit S. Ladislaus cum vniuersis Regni sui Pontificibus & Abbatibus, Anno Redemptoris M. XCII. Ex quibus considera istam cap. 11. lib. 1. *Si quis in Dominicis diebus, aut in maioribus festiuitatibus, ad Ecclesiam non venerit parochialem, verberibus corripiatur. Si verò villæ remotæ fuerint, & ad Ecclesiam suam parochialem Villani venire non potuerint; vnus tamen ex eis, nomine omnium, baculo ad Ecclesiam veniat, & tres panes, & candelam ad altare afferat.*

Et

Et hanc cap. 12. *Si quis in his diebus venatus fuerit canibus, equo careat, sed equum boue redimat. Si verò Presbyter aut Clericus fuerit venatus, ab ordine descendat vsque ad satisfactionem.*

Adde & istam cap. 15. *Si quis in Dominicis diebus, vel in maioribus festiuitatibus Ecclesiam negligens mercatum frequentauerit, equo careat.*

Nec silenda hæc cap. 16. si quis die Dominica *mercatum constituerit, præcipit sancta Synodus, vt, sicut construxit, ita destruat. Si autem quis renuit, quinquaginta pensas soluat.*

Est & hæc lex plena pietatis cap. 25. *Si quis Dominicum diem non obseruauerit, & dies festos non seruauerit, aut quatuor tempora, & vigilias non ieiunauerit, aut mortuos suos ad Ecclesiam non sepelierit, duodecim dies pane & aqua pœniteat in cippo. Si Dominus serui sui corpus, aut Villicus pauperis Villani, vel hospitis, ad Ecclesiam non detulerit, tantundem pœniteat.*

Commendanda est etiam isthæc cap. 26. *Si in die Dominico, aut aliis maioribus Festiuitatibus, Iudæum laborantem aliquid inuenerit; ne, scandalizetur Christianitas; cum quibus instrumentis laborauerit, illa amittat.*

Seuerius adhuc cum Iudæis actum est lib. 12. Legis Wisigothorum tit. 3. cap. 6. *In nullo est dubium, illum manifestè fidei Catholicæ aduersari, qui reuerentiam diebus Dominicis non impendit. Vnde negatores, vel disturbatores fidei nostræ iustissimè insequentes, id religiosa sanctione iubemus; vt, siue sit Iudæus, siue Iudæa, quodlibet opus ruraliter diebus Dominicis exercens, vel lanificia faciens, seu quascunque operationes in domibus, agris, vel cæteris talibus agens, extra quam nobilium honesta Christianorum consuetudo permittit; præsumptor huius rei decaluatus verberibus*

beribus centenis subiaceat. Quod si forsitan serui eorum, vel ancillæ in his, & talibus diebus reperiantur supradictis laboribus occupati, tunc & ipsi simili sunt sententia feriendi, Domini tamen eorum si seruos suos permiserint talia agere, centum solidos auri fisco compellendi sunt reddere. Dies tamen ipsi, qui ab iisdem Iudæis solicita deuotione sunt seruandi, hi sunt: id est; Festum sanctæ Virginis Mariæ, quo gloriosa conceptio eiusdem genitricis Domini celebratur. Item, Natalis Christi, vel Circumcisionis, vel Apparitionis sua dies. Pascha quoque sanctum, vel dies sacratissimi octauarum: Inuentionis quoque sanctæ Crucis Dominica festum, nec non & Ascensionis Dominicæ diem, vel Pentecosten, seu etiam concurrentes toto anno dies Dominicos, religiosa Christi fide venerabiles.

Ladislai insuper pietatem testatur hæc de Festis sanctio cap. 38. *Istæ verò festiuitates seruãdæ sunt per annum; Natiuitas Domini, S. Stephani Protomartyris, S. Ioannis Euangelistæ, SS. Innocentum, Circumcisio Domini, Epiphania cum Vigilia, Purificatio S. Mariæ, in Pascha quatuor dies, S. Georgij Martyris, Philippi & Iacobi cum Vigilia, Inuentio S. Crucis, Ascensio Domini, Pentecoste quatuor dies, S. Ioannis Baptistæ, Petri & Pauli vna die, S. Iacobi, S. Laurentij, Assumptio S. Mariæ, Exaltatio S. Crucis, S. Matthæi Apostoli, S. Gerhardi Episcopi, S. Michaëlis Archangeli, SS. Simonis & Iudæ, Omnium Sanctorum, S. Emerici Ducis, S. Martini, S. Andreæ, S. Nicolai, S. Thomæ Apostoli. Et vnaquæque parochia suum Patronum, & Dedicationem Ecclesiæ celebret.*

Ad peculiares Hungarorum dies festos pertinet hæc eiusdem Ladislai Regis lex cap. 37. *In hac verò sancta synodo à venerabili Rege Ladislao statutum est, & vniuersis Episcopis collaudatum, & canonizatum, vt Vigiliæ*

celebrentur B. Stephani Regis, & Gerhardi Martyris, quo die passus est, & tres dies ad festiuitatem S. Martini: & quod patronus suus Andreas Rex cum omnibus, qui tunc erant Episcopis, vouit, & statuit, ipse Rex Christianissimus destruere noluit, sed firmus perdurauit, trium dierum Vigiliam ad festiuitatem S. Petri.

Inter Colomanni Regis Leges lib. 2. legitur ista. *Si quis festo vendiderit, pretium acceptum quadruplo restituat: ipse verò pœnitentiæ subiaceat.* Item: *Si quis descriptas festiuitates non celebrauerit, sic iudicetur in eum, vt si liber est, tribus diebus pœniteat; si seruus, septem plagis mulctetur.*

Inter Decreta Regis Andreæ Anno M.CC.XXII. promulgata reperitur etiam istud. *Vt annuatim in festo sancti Regis* (Stephani) *nisi arduo negotio ingruente, vel infirmitate fuerimus prohibiti, Albæ teneamur solennizare; Et si nos interesse non poterimus, Palatinus proculdubio ibi erit pro nobis, & vice nostra causas audiet; & omnes seruientes, qui voluerint, liberè illic conueniant.*

Hæc dum de prisca Vngarorum pietate considero, acclamare iis, qui ab illa deflexerunt, cogor illud Isaiæ cap. 51. *Attendite ad Petram, vnde excisi estis, & ad cauernam laci, de qua præcisi estis. Attendite ad Abraham,* (ad S. Stephanum, S. Ladislaum, & alios Reges) *Patrem vestrũ, & ad Saram* (ad Catholicam Ecclesiam) *quæ peperit vos; quia vnum vocaui eum, & benedixi ei, & multiplicaui eum.* Quando enim maior benedictio & status florentior in Pannonia fuit, quàm cum supradictæ Leges quàm maximè vigebant, nullo Luthero, nullo Caluino, nulloque Serueto religionem pacemque publicam & quietem funestis suis sectis interturbante? Certè, quotquot, maiorum suorum ve-

stigiis

ſtigiis neglectis, Nouatores iſtos affectantur, iure comminationem illam Hebræis olim factam Deuteron. 29. metuere poſſunt. *Adducet Dominus ſuper te gentem de longinquo, & de extremis terræ finibus, in ſimilitudinem aquilæ volantis cum impetu, cuius linguam intelligere non poßis, gentem procacißimam, quæ non deferat ſeni, nec miſereatur paruuli, & deuoret fructum iumentorum tuorum, ac fruges terræ tuæ, donec intereas, & nõ relinquat tibi triticum, vinum, & oleum, armenta boum, & greges ouium, donec te diſperdat & conterat in cunctis vrbibus tuis, & deſtruantur muri tui firmi & ſublimes, in quibus habebas fiduciam in omni terra tua.* Vtinam hæc comminatio in multorum capita iam reipſa non expetiiſſet.

In profeſſione fidei, quæ Iudæis ad Chriſtianam religionem conuerſis præſcribitur, lib. 12. Legum Wiſigothorũ tit. vlt. cap. 14. hæc etiam clauſula continetur: *Sed & in feſtiuitatibus Dominicis, ſiue etiam in Martyrum feſtis, quas Chriſtianæ religionis pietas obſeruandas decreuit, ita promitto eas ipſas feſtiuitates deuotè ſuſcipere, & cum ſummo amore amplecti, & in his ipſis diebus ſemper cum Chriſtianis honeſtißimis intereſſe; ſicut honeſta & pia Chriſtianorum conſuetudo id facere, vel ſuſcipere conſueuit.*

In iiſdem Wiſigothorum legibus lib. 2. tit. 1. cap. 11. hæc ſanctio exſtat. *Die Dominico neminem liceat exſecutione conſtringi, quia, omnes cauſas religio debet excludere. In quo nullus, ad cauſam dicendam, neque propter aliquod debitum fortaſſe ſoluendum, quenquã inquietare præſumat. Diebus Paſchalibus nulla patimur quemlibet exſecutione teneri, id eſt, per 15. dies; ſeptem, qui Paſchalem ſolennitatem præcedunt, & ſeptem alios, qui ſequuntur. Natiuitatis quoque Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſio-*

uis & Pentecostes, singuli dies simili reuerētiā venerentur. Nec non & pro messiuis feriis à 15. Kal. Augusti vsque ad 15. Kal. Septembris. In Carthaginensi verò prouincia propter locustarum vastationem assiduam, à 15. Kal. Iulij, vsque ad 15. Kal. Augusti messiuas ferias, præcipimus obseruandas. Et propter vindemias colligendas, à 15 Kal. Octobris vsque ad 15. Kal. Nouembris. Omnibus hac constitutione concedimus, vt per hæc tempora nullus ad causam dicendam venire cogatur; vel, sub executione aliqua deputetur, nisi fortè causa, de qua compellitur, cœpta iam apud Iudicem fuisse videatur. Nam proculdubio si inchoata fuisse actio reperitur, ad peragendum negotium absque vlla feriatorum dierum obiectione cogendus est ille, qui pulsatur. Ita vt si persona est cui facilè credi possit, placito districtus abscedat: Si verò sit, de cuius fide dubitetur, pro se fideiussorem adhibeat, quatenus peractis temporibus supradictis, ad finiendam cum petitore causam, vbi iudex elegerit, remota dilatione occurrat; præter, qui tale crimen admiserint, quos necesse sit sententia mortis puniri. Qui etiam in talibus omninò diebus & comprehendendi sunt; & ardua in vinculis custodia retinendi, quousque peracto die Dominico, vel Feriis supra dictis, debita subsequatur eos vltio iudicantis.

Hæc omnia satis sunt consentanea illis, quæ de cessatione iudiciorum, forensisque strepitus diebus Festis sanxit ius Canonicum Extra, *de Feriis*: Vbi in cap. *Conquestus* inter festa Ecclesiæ, & ferias, quæ messis vel vindemiæ caussa indicuntur, discrimen statuitur, nam Feriis vindemialibus & messis, partes renunciare possunt; quia tales feriæ non sunt Ecclesiasticæ, sed politicæ; at feriis ab Ecclesia institutis, Deoque & alicui cælitum dedicatis, litigantes renunciare non possunt; quod in cap. *Conquestus* indicatur his verbis:

verbis: *Quibus vtiq; solennibus feriis* (quæ in capite illo recensentur) *nisi necessitas vrgeat vel pietas suadeat, vsq; adeo cōuenit ab huiusmodi* (à iudicio & strepitu forēsi) *abstinere, vt consentientibus etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus huiusmodi promulgari. Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.*

De pietate Imperatorum & Regum Francicorum erga diem Dominicum & alia festa dixi libro 1. de Festis. Vide de ijsdem cap. 164. lib. 1. Capitularium Francicorum, vbi per *octauas Domini*, intelligitur. Circumcisio Domini, quæ est octaua Natiuitatis. Vt & lib. 2. cap. 35. Et quamuis prædicto capite libri primi de festo Assumptionis nihil decernatur, sed tota res sub dubio relinquatur: libro tamen secundo cap. 35. festum hoc absolutè inter dies festos collocatur. Vide etiam cap. 88. libri 5. Et cap. 202. lib. 6. Et cap. 9. Additionis secundæ ad librum septimum Capitularium Francicorum. Consule insuper lib. 3. Cod. Iustinianei, Tit. 12. & lib. 2. Cod. Theodosiani Tit. 8. qui sunt *de ferijs*, & Constitutionem Emmanuelis Imp. Constantinop. *de Ferijs*, quæ exstat in Nomocanone Photij.

FINIS.

PRO LIBRIS DE FESTIS.

P. 111. v. 21. sic lege, *seu speciali præcepto de obseruatione Festi.*

p. 112. v. 10. Nam præceptum diuinum & Ecclesiasticum de sanctificando festo.

Ibid. v. 15. lex diuina Ecclesiastica de festis. (quamuis lex Ecclesiastica positiuum quiddam insuper præcipiat, nimirum vt diebus festis Missa audiatur.)



LECTORI.

CVm hoc ipso Redemptoris Anno M. DC. XII. Monachij, quæ Boiorum Metropolis est, Processio corporis Christi splendidissimè peracta sit, eiusque sacratissima pompa diagramma seu delineatio quadam Latinè prodierit, nihil alienum ab instituto me facturum credidi, si descriptionem illam huic lucubratiunculæ appendicis loco, annecterem, vt qui supplicationem illam præsentes nunquam viderunt; in charta quoquo modo verbis adumbratam intueantur; & ad laudes Deo decantandas inflammētur: quod vt à Catholicis iure spero, ita à Nouatoribus, plerisq; saltem, nihil aliud expecto, quam illud proditoris Iudæ. Vt quid perditio hæc? poterat enim istud venumdari multò, & dari pauperibus. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, &c. *Ioan. 12.*

POMPA

POMPA EVCHARISTICA.

Siue

SVMMARIVM

CELEBRATISSIMÆ CATHOLICORVM SVPPLICATIONIS, QVÆ CERTIS ANNORVM INTERVALLIS, IN HONOREM SANCTISSIMÆ EVCHARISTIÆ, Sacratiſſimo Corporis Chriſti Feſto MONACHII BAVARORVM, memorabili rerum Vtriusq; Teſtamenti ſpectaculo inſtitui ſolet.

HOC ANNO M. DC. XII. auguſtiùs repetita.



S. Augustinus ad Psal. XCVIII.

Qvia Psalmus mihi dicit, ADORATE SCABELLVM PEDVM EIVS. *Quaro, quid sit* SCABELLVM PEDVM EIVS? *& dicit mihi Scriptura:* TERRA SCABELLVM PEDVM MEORVM; *fluctuans conuerto me ad Christum, quia ipsum quaro hic & inuenio, quo modo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum eius. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra, & de carne* MARIÆ *carnē accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulauit & ipsam carnem manducandā nobis ad salutē dedit: nemo autem illam carnē manducat, nisi priùs* ADORAVERIT: *inuentum est, quemadmodū adoretur tale scabellum pedum Domini, &,* NON SOLVM NON PECCEMVS ADORANDO, SED PECCEMVS NON ADORANDO.

S. Ambrosius lib. III. de Spiritu Sancto Cap. XII.

Carnem, quam Apostoli in Domino IESV ADORARVNT, *hodie quoque in mysteriis* ADORAMVS.



PRÆAMBVLVM.



Ompam omnem per designatas plateas, velut ductores, præeunt duo Senatorij Ordinis.

Equitum turmæ Ciuicæ.


Quaterni Tubicines, vrbis Insignia in veste ac instrumento ostentantes.

Proximus his Consul cum suo satellitio subit.

Tres Pompæ Coriphæi, cum visendæ magnitudinis Labaro, in quo Sacratissimæ Eucharistiæ imago descripta.

Admirandæ vastitatis Gigas edito colli insidet, præferens vmbonem, in quo compendiaria Pompæ perigraphe.

Tribus ciuiles magno numero cum luminaribus præaltis, suis singulæ vestibus, ac sertis floridis discolores.



FIGVRÆ

TESTAMENTI VETERIS.

I.



Iuina Orbis ac Cœli Elementorumq; Creatio. Gen. 1. *Piscatores cum Vexillifero suo.*

II.

Adami ac Euæ ob vetitum pomi esum, ex paradiso deliciarum exturbatio. Gen. 3. *Victores siue doliarij.*

Q *III.* Caini

III.

Ratiarij. Caini Parricidium, qui fratris ſui Abelis innocuum cruorem fudit. Gen. 4.

IV.

Scriniarij. Arca Noë, in qua omne animantium ac hominum genus, veteris diluuij indices. Gen. 7.

V.

Cæmentarij ſiue fabri murarij. Sacrificium Melchiſedeci Myſticum, quo ſacra Miſſæ per Chriſtũ inſtitutio repræſentata. Gen. 14.

VI.

Tornarij. Sanctus Abraham, qui de tribus ſibi comparentibus Angelis, vnicum duntaxat adorauit. Gen. 18.

VII.

Pomarij. Lothi filiarum à nefario Sodomorum ſcelere vindicatio. Gen. 19.

VIII.

Fabri lignarij. Magni Abrahami Patriarchæ Sacrificium, quo ſuum vnigenam Iſaac, æterno Obedientiæ exemplo, Diuino Numini victimam ſtitit. Gen. 22.

IX.

Acufices. Rebecca Iacobum erudiens, quâ arte apud Iſacum Fratris ſui primigenia præuertat. Gen. 27.

X.

Plauſtrarij. Iacob Patriarcha, dum in aperto viarum campo ex laſſitudine obdormiſcit, Cœleſtes Olympi Genios, aſpectabili ad ſe forma deſcendentes intuetur. Gen. 28.

XI.

Frumentarij. In memorabili rerum omnium annonâ ac fame, Ioſephi filij ſui ſubſidio in Ægyptum aduenieś Iacob, cum omni ſuo comitatu, inſperatâ Pharaonis gratiâ beatur. Gen. 45. & 46.

XII.

Chirothecarij. Sanctus Iobus, è ſummâ rerum omnium opulentiâ,

lentiâ,ad extrema quæq; infortunia, amicorumque ludibria delapsus, æternum se mortalibus Patientiæ exemplum fecit. Iob 1. & 2.

XIII.

Mosi Patriarchæ diuinum se Numen in ardenti rubo ostendit, atq; Israëlis ex Ægypto liberationem pollicetur. Exod. 3. *Stannarij & figuli.*

XIV.

Admiranda Mosaicæ Virgæ in serpentem transmutatio. Exod. 4. *Balneatores.*

XV.

Ritus ac Cæremoniæ priscæ, quibus agnus olim paschalis absumi iussus. Exod. 12. *Pilearij.*

XVI.

Columna ignea, Israëlitarum nocturna dux. Exod. 13. *Alutarij.*

XVII.

Ductore Mose, populus Israëliticus mare rubrũ sicco vestigio perambulat: Miles Pharaonis ab aquis haustus interit. Exod. 14. *Laniones inferioris macelli.*

XVIII.

Famentem populum; sparso de cœlis pane Numen affluenter reficit. Exod. 16.

XIX.

Idem per deserta sitienti obmurmurantiq; Moses Virgæ percussu profluentem aperit. Exod. 17. *Coriarij.*

XX.

Moses in Monte Sinaitico geminas legum diuinarum tabellas acceptat. Exod. 31. *Fabri Vngularij & laminarij.*

XXI.

Israëlitarum Idololatrica ad vitulum saltatio. Exod. 32. *Laniones superioris macelli.*

XXII.

Exploratâ promissionis terrâ, rediere quos Mo- *Coqui popinarij.*

ſes miſerat, fertilitatis teſtem, vuam ingentem humeris portantes. Num. 13.

XXIII.

Calceolarij. Ex Principum Iſraëliticorum Virgis, per ſingularem Numinis diſpenſationem, vna Aaronica floreſcit. Num. 17.

XXIV.

Tinctores. Moſaici ſerpentis aſpectus omnes in deſerto affectos ſanat. Num. 21.

XXV.

Salisropolæ. Formidabilis DEI Arca, ad cuius præſentiam, inter tubarum clangores muri Hierichuntis collapſi. Ioſue 6.

XXVI.

Tonſores qui etiam Chirurgiam exercent. Poſt bimeſtrem Virginei pudoris deplorationem, Iephte caſtam filiæ ſuæ ceruicem ferit. Iud. 11.

XXVII.

Ephippiarij & phalerarij. Heroicum Dauidis cum Goliathe duellum. 1. Reg. 17.

XXVIII.

Auenarij. Elias in deſerto per manus Angelicas paſtus. 3. Reg. 19.

XXIX.

Cribrarij. Ionas Niniuitarum Propheta è Ceti viſceribus rediuiuus. Ion. 2.

XXX.

Ceruiſiarij. Iudith Bethulicæ cladis liberatrix, Holofernem enſe inſignis & cruento capite ouans triumphat. Iud. 13.



FIGV-



FIGVRÆ TESTAMENTI NOVI.

XXXI.


Ompam legis Nouæ, inter festiuos tubarum applausus, aperit Cæsar Octauianus Augustus, sub quo humani generis Assertor, suo ad mortales aduentu, vniuersum terrarum orbem beauit. Luc. 2. *Compactores librorũ, membranarij & thecarum orbicularium concinnatores.*

XXXII.

Beatissima MARIA, Virguncula Nazarea, Iosepho cœlitus desponsatur. Matth. 1. *Molitores.*

XXXIII.

Sacratissimam Virginem, Nuncius cœlestis, felici nomine, DEI Matrem salutat. Luc. 1. *Farinarij.*

XXXIV.

Deipara visura fractam senio Elisabetham, per excelsa Palæstinæ iuga transmeat. Luc. 1. *Sagittarum & arcubalistarum artifices.*

XXXV.

CHRISTVS per iniuriam ab mortalibus exclusus, inter abiecta stabuli iumenta nascitur. Luc. 2. *Tonsores pannorum.*

XXXVI.

Idem in octiduano tugurio suo, ex lege Mosis circumciditur. Luc. 2. *Textores panni crassioris & villosi.*

XXXVII.

Christo Paruulo Magi è longinquis terrarum *Pelliones,*

regionibus, duce Stella profecti, aurũ, thus, & myrrham supplicabundi deferunt. Matth. 2.

XXXIIX.

Mensores annonæ siue frumenti. Simeon Numine impulsus templum petit, puerumque repertum in vlnis Saluatorem salutat, immortali in Ecclesiâ cantione. Luc. 2.

XXXIX.

Restiones. Ioseph per quietem monitus cum Coniuge properâ fugâ in Ægyptum abit, Herodis sæuitia insectante. Matth. 2.

XL.

Fabrij cultrarij. Iugulat Herodes pueros multos, vnum timens. Clamant genitrices, clamant pueri: sed hi felices, illæ miseræ. Matth. 2.

XLI.

Ludimoderatores. Qui docendus videbatur puer, in medio Doctorum cœtu egregiè docet, attonito senio. Luc. 2.

XLII.

Ioanni baptizanti & Christus sacrum caput submittit; Pharisæi quoque, populusque multus idem lauacrum orant. Matth. 3. Marc. 1. Luc. 3.

XLIII.

Lignlarij. Actis ieiunio quadraginta diebus, Christus à Cacodæmone vario astu impugnatur. Matth. 4.

XLIV.

Textores panicularij. Nuptiali festo Christus magnus Conuiua interest; haud immunis, cùm enim potus deesset, è fonte vinum substituit. Ioan. 2.

XLV.

Sartores & Linamentarij. Herodes, incitante per sæuitiam puellâ, Ioannem carcere eductum obtruncat, infame chorearum pretium. Matth. 14.

XLVI.

XLVI.

Christus ab Samaritanâ haustum è puteo flagitat, sermonemq́ue producit. Ioan. 4.

Mercatores.

XLVII.

Lazarus è sepulchro Christi voce citatus prorepit, triduano situ formidabilis. Ioan. 11.

Bractearij.

XLIIX.

Christus Sacram Vrbem inter lætas acclamantium turbas, asello vectus, ouans ingreditur. Matth. 21.

Cingularij.

XLIX.

Intra templi ambitum negotiantes verbo & flagello exturbat. Io. 2.

Crumenarij.

L.

Suprema Domini Cœna, quâ Magnum Corporis sui Sacramentum instituit, charos inter discipulos partitus. Mar. 14. Matth. 26. Luc. 22.

OEnopolæ siue hospites cauponarij.

LI.

In Oliueto Christus ad futuros mortis horrores, mœsto animo luctatur; cælestemq́ue Patrem enixè deprecans, premente dolore, sanguinis guttas exsudat. Matth. 26.

Salitores.

LII.

Imperio Pilati, ad columnam religatus, more serui cæditur. Io. 19. Mar. 15.

Calcarium, clauiculorum ferreorum & collenonum curruluum fabri.

LIII.

Verendum eius caput spineo serto cingitur vnà ac laceratur; iuncum dextrâ portat, & ab impiis Rex salutatur, acerbo ioco. Io. 19. Matth. 27. Mar. 15.

Fabri ferrarij, sclopetifices & horologiopæi.

LIV.

Pilatus Christum sæuè lancinatum, ac populo miserãdum, ad Prætorij frequentiam producit, prolecturus misericordiam, memorabili hac voce, ECCE HOMO, Io. 19.

Instrumenti domestici ferrei fabri, circulatij & ensium politores,

LV. Pi-

LV.

Bossitores panniculariȷ.

Pilatus in innoxium Capitis sententiam fert, frustraque manus aquâ lauat, dum sanguine innocente animum maculat, accinente populo fatale malum, *Sanguis eius super nos, &c.* Matth. 27.

LVI.

Linteones.

Christus graui ligno oneratus, longâ viâ ad supplicium rapitur, magno agmine insequente dolentûm & gementûm. Io. 19.

LVII.

Mœstæ Matri dolor pectus transuerberat, haud oblitæ vaticinantem Simeonem. Luc. 2.

LIIX.

Vitriarij, pictores, phrygiones & statuarij.

Christus post triduum ex Orco redux, multâ gloriâ corpus ambiente triumphat. Mar. 16.

LIX.

Tabelliones supplicũ libellorũ, procuratores forenses, & id genus alij calami scriptorij munia tractantes.

Expeditis in terra Dei Patris imperiis, ad cœlos vehitur, ingenti cœlestium plausu exceptus. Act. 1.

LX.

Pistores.

Cœtui Apostolorum vnas in ædes ob metum coacto, repentè è Superis Spiritus allabitur, linguisque ac virtutibus implet. Act. 2.

LXI.

Tyropolæ siue Casearij.

S. Stephanus furentis populi armis, raptis è viâ saxis, primus Martyr occumbit, oratque pro hoste apud stantem Christum. Act. 7.

LXII.

Aulica familia.

S. Georgius inclitus miles, (sacer Principalis palatij Præses ac Tutor) terrificum Draconem vibratâ hastâ traiicit, populumque vorandum liberat.

LXIII.

LXIII.

D.Vrsula, vndenorum millium caput, naui fluctuans, Romam intendit. Dulciarij vel libarij.

LXIV.

Extremũ Dei iudicantis Tribunal, cui viui iuxta ac mortui, tubæ sonitu sistentur. Matth.24. Aurifices.

LXV.

Fulgent visendâ seriẹ Cleri Labara, Vexilla, Cruces.

LXVI.

Mulier amicta Sole. Apoc.12. Angelorum Choris stipata: Tergum eius claudunt in terris Peregrini mortales, opem poscentes.

Subsequuntur suo quiq; ordine.

Congregatio Sacratissimi Eucharistiæ Sacramẽti, veste rubrâ.

Congregatio Fidelium Defunctorum, colore castaneo.

Congregatio Beatissimę Virginis Annunciatæ, veste pullâ.

Congregatio Beatissimæ Virginis OEtinganæ, violaceâ.

Congregatio SS. Nicolai de Tolentino & Sebastiani, sacco purpureo.

Congregatio Aulica, seu D. Georgij Martyris, rubrâ in candida cruce.

Deinceps diuersorum Ordinum Religiosi & Clerici.

Familia PP. Capuccinorum.

Familia PP. Franciscanorum.

Familia D. Augustini.

Clerus Aulæ.

Clerus B. Virginis: Ac D. Petri, qui Sacram Eucharistiæ circumgestationem quotannis ex lege alternant.

Sacri Præsules.

Abbates Infulati.

Tubæ ac Heroum tympana aulica.

Aulici Choraulæ.

Linteati Aulæ Musici.

Angeli cũ Sacris Pactientis Christi instrumentis.

Alij cum Nolis ac Cymbalis.

Diaconus cum Subdiacono.

FERCVLVM SACROSANCTÆ EVCHARISTIÆ, quod Nobiliores Aulæ, Senatusq; quatuor, pretiosâ vmbellâ per vices inumbrant.

Diaconus cum Subdiacono.

SERENISSIMVS DVX, ALIIQVE PRINCIPES, manu tædas gestantes, vnaq; totus Aulæ Comitatus, stipante vtrinque præsidiario Equite, Peditéque.

Ordines claudit Senator extremi agminis ductor.

Hunc proximè insequitur eximiorum militum Centuria.


Decantatis ad Vrbis portas Euangeliis, tormẽta curulia ingenti fragore festiuùm detonãt, adstrepẽtibus ad triumphũ innumeris sclopetariorũ fistulis.

In Campis interim extraurbanis, equestris Exploratorũ cohors publica viarum occupat, ac dein Pompâ reuertente, ad forum vsque ac templum antegreditur.

FINIS.



INDEX.



INDEX
EORVM QVÆ IN DISSERTATIONE DE FESTO CORPORIS Christi continentur.

A.

K 2 Arca

B.

Beza

D.

E.

Eucha-

ob

G.

H.

S.Ioan-

O.

P.

V.

VVis-

FINIS.



